





Herrn Schulrath Schmalfuß

hochachtungsvoll ergebenst

der Verfasser.

Otto Oestreich

1872.



ORATIONIS

DE

HARUSPICUM RESPONSO

HABITAE

ORIGINEM TULLIANAM

DEFENDIT

GUSTAVUS LAHMEYER

DR. PHIL.

GOTTINGAE

SUMPTIBUS LIBRARIAE DIETERICHIANAE.

MDCCCL.

V. CL.

CAR. FRID. HERMANN

DOCTOR PRAESTANTISSIMUS

CONSECRATO HOC COMMENTARIOLO

GRATAM

QUA APUD AUCTOREM VIGET

M E M O R I A M

PERSPICIAT.

INDEX ARGUMENTI.

STATUS CAUSSAE,

QUO DEMONSTRATUR, QUAE SINT HODIE QUIQUE DISCREPENT SENTENTIAE VIRORUM DOCTORUM IN ORATIONIS *DE HARUSPICUM RESPONSO* [1]) HABITAE AUCTORITATE DIJUDICANDA.

Quemadmodum in Romanorum republica adolescentes, qui gloriam captabant viamque sibi ad famam popularem honoresque munire cupiebant, quo celerius exhibito ingenii eloquentiaeque specimine innotescerent, in eminentes Urbis homines, qui aliquam reprehensionis ansam praebere viderentur vel certe possent videri, acriter irruere eosque ob ficta haud raro vel admodum amplificata crimina in jus vocare videmus, ut ne integerrima quidem vita satis homines ab ejusmodi accusationum petulantia tueri posset; haud dissimile periculum novissimis temporibus in litterarum historia optimo cuique scriptori imminet, si quidem mox nullum fere scriptum erit, quod non unus saltem aliquando homo doctus immoderata addubitandi quidvis reprehendendique cupiditate incensus indignum eo, cui antea attributum erat, auctore censuerit animumque exercuerit in turpissimis ut ait ejus vitiis commonstrandis. Quippe acrem ingenii aciem probat putaturque gloriae haud mediocris, si quis primus, turbae clamoribus neutiquam commotus, quod omnes ante ipsum ut bonum probaverant ac vel laudibus extulerant opus, idem jam maculis minime negligendis inquinatum ostendit ideoque vel abrogandum fortasse ei scriptori, cujus tantummodo nomen famaque etiam de pravo opere, cujus auctor

---

1) Ita enim inscribendam eam esse, non ut assolet *De haruspicum responsis*, postea in Cap. II §. 4 ostendere studebimus.

ille esse ferretur, oculos virorum doctorum occaecavisset. — At firma ac gravia in ejusmodi re requiruntur argumenta, integerrimum judicium, studium diligentissimum, certa denique disputandi ratio, ne ipsi nobis difficultates paremus, quae nullae sunt, nodumque quaeramus in scirpo; et id potius semper operam dare debemus, ut remotis, si quas initio deprehendisse videamur, minoris momenti offensionibus nihilo minus genuinum opus, quod historica certe auctoritate nitatur, ac probum esse intelligamus; qua de re tum demum desperandum erit, cum offensiones illas atque vitia ita comparata esse apparuerit, nullo ut pacto nobis cum illo, qui antea perhibebatur, scriptore cohaerere posse videantur.

Ac profecto Bentlejus V. Cl. in Phalarideis, quae dicuntur, epistolis convincendis optimum ille quidem altioris, quam vocant, artis criticae exemplar discipulis suis praebuit: hi vero, ut omnino ferme Angli temere jurant in verba magistri, nihil antiquius habebant, quam ut non solum in unam hanc atque peculiarem illius sententiam sine dubio verissimam concederent, sed jam in aliis et ipsi scriptis veterum addubitandis vestigia summi magistri temere premendo sequi eum atque imitari studerent. Veruntamen pedissequi hi ac prope dixerim simiae Bentleji Bentlejano ingenio neutiquam erant instructi; ideoque incerto quodam rabidoque dubitandi pruritu inducti ne summis quidem scriptoribus pepercerunt illi, immo in ipsos hos acerrime ac fere incredibiliter grassati sunt, ut in quibus propter universam praestantiam ne levissimas quidem offensiones, quae non raro nullae omnino sunt, tolerare voluissent. Sic a Tullio Tunstallus epistolas Brutinas[1]) abjudicavit; sic quoniam in

---

1) de quibus in acerrimam nuper contentionem venerunt C. Fr. Hermann et Aug. W. Zumpt; quorum cum superior (»Vindiciae latinit. epist. Cic. ad Brutum«, Gott. 1844, et »Zur Rechtfertigung des erhaltenen Briefwechsels zwischen Cic. und M. Brutus« in Abhh. d. Gött. Gesellsch. d. Wiss. T. III, 1845) vindicasset eas rursus ad Ciceronem, carptus propterea a Zumptio, paullo post etiam »Epimetrum vindic. Brutin.« (Gott. 1845) scripsit, ad quod et ipsum idem respondit Zumpt in Berl. Jahrbb. f. wiss. Krit. 1845, Nr. 91—94. Cf. etiam Liebeкühn in Jen. Allgem. Liter. Zeit. 1846, p. 1179—82.

Ciceronem semel impetus directus erat, eundem mox a. MDCCXLV in animadversionibus Anglice scriptis [1]) MARKLANDUS quattuor orationibus tanquam summo oratore indignissimis liberavit, quae habitae a Tullio putarentur »*Post reditum in senatu et ad Quirites, De domo sua apud pontifices, De haruspicum responsis.*« Non ille quidem spurias eas esse MIDDLETONO [2]) persuasit, non ROSSIO [3]), non aliis viris Latini sermonis gnarissimis [4]); quid quod GESNERUS V. D. duabus (a. MDCCLIII et IV) praelectionibus doctissimis [5]) nomen Tullianum ejusque dignitatem impugnatis illis orationibus magna cum industria restituebat, cujus quidem argumentis validissimis verissimisque Marklandus, totius hujus litis auctor, fortasse [6]) ne ipse quidem diutius resistebat! — At alius dimidio post saeculo (a. MDCCCI) vir doctus, multo majoris quam Marklandus, majoris etiam quam Gesnerus auctoritatis, FRIDERICUS AUGUSTUS WOLF in illius locum successit Anglique hominis rem jam desperatam contra popularem suum novis argumentis defendit [7]); immo etiam longius processit ac praeterea etiam Tullianam pro Marcello orationem, quam nemodum addubitaverat, consimili modo ut indignam Cicerone rejiciundam peculiari editione [8]) perstrinxit. Quid mirum, quod res, quae jam conclamata videbatur, Wolfiano nomine sustentata denuo tunc aciem virorum doctorum in se vertit! nec deerant mox, qui

---

1) quas laudat WOLF in ed. p. VIII et IX, idemque etiam repetit, ordine tantum paullulum immutatas et in Latinum sermonem conversas (v. p. XXIV), in ed. p. XLVII—LXXX et in notis singulis.

2) V. WOLF p. IX.

3) ib. p. X sq.

4) ib. p. XIV sq.

5) ib. p. XVI sq. (»*Cicero restitutus*«). Repetitae, ordine tantum (v. p. XXIV) paullulum immutato, apud eundem WOLFIUM p. LXXXI–XCIX et in notis editioni subjectis.

6) V. WOLF p. XVIII *).

7) in *Edit.* quatuor illarum orationum, Berol. 1801, ubi etiam MARKLANDI et GESNERI disputationes repetendas curavit; quare in harum quoque singulis locis laudandis simplicitatis caussa Wolfiana potissimum editione utendum nobis esse videbatur; id quod jam hic praemonemus, ne quem notae insequentes offendant.

8) »*Ciceronis quae vulgo fertur or. pro Marcello*«, 1802.

sententiae Marklandianae a Wolfio probatae jam et ipsi cum magno clamore adstipularentur. Sic censor [1]) editionis Wolfianae in Allg. Lit. Zeit. 1802 n. 98; sic Beck in Excursu critico [2]) (Ed. Cic. IV, 4, 1807, p. 612—627), ubi repetit fere Marklandi et Wolfii argumenta paucis ad Gesnerum refellendum adjectis; sic Schütz in suis In Ciceronis quae vulgo feruntur orationes . . . Prolegomenis (Ed. Cic. VIII, 3, 1816, p. III sqq.; apprime p. XXV—XXX, ubi paucissima hac de quaestione affert, cum p. X omnino lectores ad ipsum Wolfii librum ablegare maluerit, quam excerpere illum); sic denique Nobbe in editione sua [3]). Hi cum omnino prorsus cum Wolfio facerent omnesque simpliciter, quas ille impugnaverat, orationes quinque et ipsi a Tullio abjudicarent, alii postea non pauci exstiterunt, qui de uno certe, quod nostrae potissimum disputationi subjectum est, scripto [4]) quod agit *De haruspicum responso* cum Wolfio consentirent:

ut Beier ad Cic. De offic. II, 1821, p. 116 (»*Pseudo*-Cic. de harusp. resp.«);

ut Madvig, De Asconii commentariis, 1828, p. 76;

ut Bernhardy, Grundriss der Röm. Liter. 1830, p. 298;

deinde qui in Editione ipsa (1826) certe inter dubia scripta orationes illas rettulerat, Orelli postea [5]) nostram orationem in Onomast. Tull. 1836, I, p. 68, not. 1) simpliciter spuriam appellavit;

tum Ambrosch, Studien und Andeutungen im Gebiete des altröm. Bodens und Cultus, 1839, I, p. 71;

---

1) Aliorum virorum doctorum de Wolfio judicia v. apud Beck. in ed. Cic. 1807, IV, 4, p. 614, not. 7).

2) Cf. p. 614 »Divisa est omnis de his orationibus disputatio in tria capita, quorum I. de *externis* quae appellantur *argumentis*, quibus harum orationum fides defenditur, statuendum; II. num omnino probabile sit, has orationes sub Ciceronis nomine fingi potuisse, quaerendum; III. de *internis rationibus*, quibus spurias esse conficitur, exponendum est.«

3) quam inspicere mihi non licuit, cum in bibliotheca regia Gottingensi non exstaret illa; neque vero desiderare me eam admodum ingenue fateor.

4) de quo vide etiam Markland p. LXX sqq.; Gesner p. XCVI sqq.; Beck p. 625 sqq.; Schütz p. XXV sqq.

5) V. jam Bähr, Gesch. der Röm. Litt. 1832, §. 255, not. 19).

Haase ad Reisigs Vorlesungen, 1839, p. 476, not. 441) (»den Verf. der Rede de har. resp.«);
Zeyss, Röm. Alterthumskunde, 1843, p. 505, not. 6) (»Declam. de har. resp.«);
Freund, Wörterbuch der Lat. Sprache, Vol. III, 1845, s. v. *pontificatus*; s. v. *postulatio* II, A; p. 238 in. (»Auct. Haruspic. resp.«).

Quamobrem quoniam minime is sum equidem, qui tot tantorumque virorum doctorum auctoritatem temere spernendam existimaverim, non sine magna verecundia et ipse aggressus sum quaestionem, cui eadem illa oratio subjecta est examinanda, quae non modo plurimis judiciis derogata Ciceroni, sed vel inter spurias ipsas una fere omnium pessima [1]) declarata est. Poterat etiam illud me a proposito aliquatenus deterrere, quod haud immerito summi viri [2]) omnino paucos esse omni tempore dixerunt, qui talem caussam cognoscere operae pretium putarent; pauciores qui id facere possent; sed qui eidem et vellent et possent, longe paucissimos. Cum vero antea non licuisset omnino a quaestione illa extrinsecus primum mihi oblata recedere; jam posteaquam in solvendam eam cum studio ac diligentia et aliquo spero fructu incubui, ultro judicium meum, qualecunque censebitur, cum viris doctis communicare audebo, non quo venditem illud pro vero utique ac perfecto, sed quia aliquid certe me ad verum indagandum litterarumque historiam promovendam attribuisse spero. Namque hoc saltem, quod potui, praestare studui, ut integerrimo judicio, nulla praeoccupatus opinione, quae summa in ejusmodi disquisitionibus lex est [3]), totam caussam animo perpenderem et quicquid inde concludendum mihi videretur, nulla neque timoris habita neque gratiae ratione, ingenue profiterer.

Atqui quo saepius orationem nostram legi atque relegi, quo recentiorem mihi interioremque cum Cicerone oratore familiaritatem contrahere studui, non potui non eo certius

---

1) V. Markland p. XLVIII et XLIX. Cf. etiam Beck p. 626 infra; Schütz p. XXVI et XXX.

2) Wolf p. XIII sq. et p. XLIII; Gesner p. LXXXI sq.

3) Cf. etiam Wolf p. XLIII; Markland p. L.

mihi persuadere revera Ciceronianam illam esse. Acriter sane circumspexi, num quae vitia graviora Tulliove indigna invenire possem; comparavi alia scripta genuina; sed compluribus, quae ante nostram, omnibus, quae postea a Tullio habitae sunt, orationibus accuratissime perlectis collatisque [1]) hoc mihi luce clarius esse videbatur, et nostram et quae arte cum ea cohaerent reliquas orationes Wolfianas temere a viris doctis Ciceroni derogatas esse. Summorum mihi quidem eruditissimorumque hominum judicium refellendum est: at enim, ut consentaneum est [2]), haudquaquam arroganter aut impie ipsis detrectabo, qui ob plurima sua merita suspiciundi potius sunt atque colendi, sed opiniones impugnabo, rem agam, solam spectabo veritatem. Nimirum ut ipsius [3]) tela in Marklandum retorqueamus, summi illi erant, homines tamen; hominumque est errare, non solum in verbis legibusque sermonis [4]), verum etiam in sententiis judiciisque rationis.

---

1) nam quod in ejusmodi quaestionis judice requirit Beck p. 620 »Quam vim ea res habeat, sensu suo is demum perspecturus recte est, qui recens ab accurata lectione *optimarum* Ciceronis orationum ad has declamationes accesserit,« — hoc ita demum recte habet, si non ad *optimas* tantum, sed ad *omnes* simpliciter orationes judicium fertur.

2) Cf. etiam Gesner p. LXXXV; Wolf p. XXVI.

3) p. LII, quae sumpsit fere ex Quintil. 10, 1, 24.

4) Nam eidem illi, qui vel minima dictionis vitia in orationibus eis anxie pervestigarunt, in suis verbis haud levia interdum peccata contra elegantiam puritatemque sermonis commiserunt, propter quae ex illis certe, quas in Cicerone reprehendendo secuti sunt, artis criticae legibus sua sibi ipsi scripta derogarent jam necesse esset. Sic, ut pauca tantum afferam, dicit Beck p. 624 »*non* existimari *potest*«; p. 615, 10) »fons ex quo *quisque suo* modo peteret«; Schütz p. 332 »sperare *ut* ...., qui abjiciant« pro Acc. c. Inf. et »abjicerent«; porro ipse qui (p. 309) Gesnero exprobravit, quod dixerat hic »quidni potuit«, Wolf p. XLIII et p. 321 »dubito *an*« pro »dubito num«, et »si modo« pro »dummodo«; idem p. 310 (vel Klotzio in ed. adstipulante) lectionem »*aut*«, pro qua saltem »an« scribendum erat, defendit; porro p. 372 »graviter *quidem*« scribit, cum tamen quem impugnat orator multo elegantius »equidem« dixisset; pro »nullo« denique legimus p. 368 »*nemine*«, quam formam minime Ciceronianam etiam Orelli (Ed. Cic. Tom. III, 1846, ad Ep. Fam. I, 10, vers. 40 »mirum ni scripserit Tullius: cognoscere a tuorum *nemine*«) Tullio obtrudere voluit.

Accedit porro quod, licet Wolfius [1]) fore conjecerit, ut sorderent mox orationes nostrae, apud eruditos quidem cito, apud imperitos certe aliquot post aetatibus, nihilo minus neutiquam omnes adhuc viri docti ei assensi sunt; immo aeque multi eique et ipsi satis idonei ad hanc litem dijudicandam arbitri etiam postea in orationibus illis acquieverunt tanquam genuinis, Gesnerum potius quam Wolfium secuti. Sic jam Weiske (Ciceronis orationes XIII selectae, 1807) p. VI—XIV sano de tota hac quaestione judicio utitur, etsi non tam de nostra ille oratione, quam de duabus Post reditum habitis et de Marcellina agit; porro Savels [2]) (De vindicandis Ciceronis quinque orationibus, Colon. 1828); sic O. Müller, Etrusker, II, 1828, p. 6, not. 16) »Cicero [ich setze den Namen mit Vorbedacht] de har. resp.«, et p. 23, not. 11); deinde Hand (in Hall. Encyklop. XVII, p. 221 sq.), qui orationes Ciceronianas illas quidem existimat, attamen non satis perpolitas alienaque manu haud raro interpolatas, ita ut auditores fortasse excepisse verba Tulliana nec recte reddidisse viderentur; porro Stürenburg ad Cic. pro Archia, 1832, p. 153, qui nostram certe orationem Ciceroni tribuit; tum Drumann, Geschichte Roms, II, 1835, p. 331; V, 1841, p. 471 [3]) et p. 702; similiter Lucas, Quaestiuncularum Tullianarum specimen,

---

1) p. XXXVIII not.

2) Tria demonstranda sibi proposuit Savels (cf. pag. VI): 1) Scripsisse et edidisse revera Ciceronem *de eisdem argumentis* orationes; 2) *Veterum testimonia* usque ad Priscianum confert; 3) Nihil inesse probat quod *Cicerone indignum* sit. In his repetit fere argumenta Gesneriana. In singulis autem locis percensendis ita deinde versatur, ut eos tantum tractet (p. XXI), qui a Beckio ut vitiosissimi notati sint, ut vel hos vitiis omnino vacare et a Ciceronis eloquentia minime alienos esse intelligamus. Hinc vero factum, ut ex nostra oratione (de qua v. p. XXXIV—VI) *quinque* tantum locos in examen vocaret eosque haudquaquam praecipuae difficultatis, sed satis simplices. Quod autem (p. XXI) pollicitus est brevi tempore commentarios in singulas orationes sua opera prodituros, in quibus ne tenuissima quidem suspicio neglecta esset, huic promisso, quod equidem sciam, nondum stetit vir doctus.

3) ubi non omnes ait a se rationes allatas esse, cur genuinas existimaret orationes illas; cui quidem desiderio utinam satisfaciat mox vir doctissimus!

Hirschberg. 1837, 4. [1]); deinde Klotz et in editione [2]) sua (Cicero's Reden, T. III, 1839) et vero etiam in Handbuch der Lat. Litter.gesch., T. I, 1846, p. 25 sqq.; denique etiam Bähr in Geschichte der Röm. Litter. II, 1845, p. 276 nobiscum potius facere videtur [3]), cum antea idem in altera illius libri editione (1832, p. 521) Orellio adstipulandum esse censuerit; neque minus nostrarum partium est C. Fr. Hermann, Gesammelte Abhandl. u. Beiträge zur class. Litteratur und Alterthumskunde, Gotting. 1849, p. 35, not. 46).

Non mediocriter gavisus sum, ubi tanta tot hominum Ciceronianae dictionis atque indolis cognoscendae peritissimorum auctoritate sententiam meam vidi corroborari. Immo mox solo fere Wolfiani nominis pondere effectum esse intellexi, ut recentiores aliquot de orationibus nostris dubitarent. Scilicet Marklandus, qui identidem [4]) in idoneis hujus quaestionis arbitris interiorem usus Tulliani notitiam requirit, ut ex multis locis apparet, ipse non novit Ciceronem ideoque ne ipse quidem satisfecit necessario illi postulato. Recentiores vero, ut ita dixerim, ἐνστατικοὶ omnes

1) Hoc neque ex bibliotheca regia Gottingensi, nec per bibliopolam nancisci potui. Cf. autem Jahnii Jahrbb. 1837, XIX, p. 353.

2) Cf. pag. VIII »Für die, welche mit vorurtheilsfreier Prüfung an die Sache gehen, glauben wir in den beigegebenen Erläuterungen *die Aechtheit* dieser 4 Reden genugsam erwiesen zu haben.«

3) »Indessen, inquit, wird man sich aber auch (vgl. §. 281 not. 5) das Gewagte, das insbesondre in dem *Widerspruche mit den bestimmten äusseren Autoritäten* des Alterthums, welche für die Aechtheit dieser Reden sprechen, liegt, so wie die grosse *Unsicherheit und das Schwankende*, das in den wider die Aechtheit der Reden in sprachlicher, wie in sachlicher Hinsicht vorgebrachten Gründen liegt, keineswegs verhehlen dürfen: man wird auch nicht in allen Reden Cicero's die gleiche Stimmung, wie die gleiche Ausführung und Vollendung erwarten und nicht in jeder Abweichung von dem sonst Gewöhnlichen etwas Fremdartiges, Unciceronianisches finden wollen, sondern im Gegentheil mit aller Vorsicht hier zu verfahren haben, um nicht, bei dem *Mangel aller positiven Gründe* und im Widerspruche selbst mit äusseren Autoritäten, ein Verdammungsurtheil auszusprechen, *das bis jetzt noch nicht gehörig und vollkommen begründet scheint*, um die Aechtheit dieser Reden völlig aufzugeben und in ihnen selber Producte der blossen Schulberedsamkeit der nachfolgenden Periode anzuerkennen.«

4) ut pag. XLIX., pag. L.

ferme, excepto fortasse Madvigio, cum neutiquam ipsi paullo diligentius rem exploravissent, temere statim Wolfii exemplum secuti sunt, cum eidem, nisi hic fuisset, in Gesneri sine dubio defensione acquievissent. Wolfius autem ipse quomodo ad suam sententiam delatus sit, nescio; praejudicata impeditus opinione accesserit ad hanc disceptationem necesse est; quo factum est, ut haud raro res plane manifestas aut non videret omnino, aut si videret non recte videret: nimirum dormitavit interdum etiam bonus Homerus. — Itaque quoniam et ipse [1]) dubito num caussa nostra adeo impedita et difficilis sit ad judicandum, modo judices fuerint ab omni cupiditate remoti, prompto jam animo orationem nostram in examen vocabo et, quanquam multo difficilius esse sanare vulnus quam infligere probe scio, pro virium certe modo, quae ipse sentio, aliis quoque probare studebo.

Ceterum ut hoc praemittam, ipsorum hostium ut ita dicam castra digrediuntur, dissidentque inter se quodammodo partium adversariarum duces; nam cum Marklandus (p. LXXVII) a falsario nescio quo, orationibus illis sub Ciceronis nomine editis, mox in fraudem inductum Asconium, postea Quintilianum et Arnobium putavisset, Wolfius contra, raro accidisse, ut imitator scholasticus edendis ejusmodi scriptis ludere homines doctos vellet, arbitratus [2]), quae a Pediano, Quintiliano, aliis laudarentur *De domo* et *De haruspicum resp.* [3]) orationes non esse fortasse omnino easdem, quas hodie in manibus haberemus, existimavit eamque nobis conjecturam propinavit, ut, ipsius quidem Ciceronis orationibus deperditis, miserum postea aliquem rhetorem eisdem de argumentis miserrime declamavisse censeret [4]).

Veruntamen priusquam et ipsi, qui factum sit, perquiramus, ut Ciceroni hujusmodi oratio tribueretur, antea sine dubio altera profliganda est quaestio, in qua cardo rei vertitur, nobis et ipsis, utrum abjudicanda omnino illa a Tullio videatur necne. Hinc igitur initium capiemus.

---

1) cum Wolfio pag. XLIII.
2) Cf. ejus Praef. ad orat. Marcell. p. XXVIII.
3) Hac certe de oratione, quae admodum historica esse videatur, adstipulatur Wolfio etiam censor in Allgem. Lit. Zeit. 1802, n. 98, p. 6.
4) Cf. pag. XX; pag. XXXIX sq.; p. XLIV. Adstipulantur Beck p. 615, not. 9; Madvig l. l. p. 76. Vide contra Savels l. l. p. XX.

CAPUT PRIMUM.

PRAEMONENTUR NONNULLA DE ALTIORE QUAE DICITUR ARTE CRITICA, ET QUOMODO ABUSI EA SINT WOLFIANI, ET QUOMODO VIA AC RATIONE INSTITUENDA VIDEATUR.

---

§. 1. *Universae, qualem Wolfius in Cicerone exercuerit, artis criticae, quae specie tantum internorum argumentorum, nequiquam firmis fundamentis nitatur, imago exhibetur.*

Non ineptum videtur antea quam ad singulas rationes, in quibus Wolfius offenderit, percensendas accedamus, generalem quandam universae qua usus est ille artis criticae imaginem exhibere; qua perspecta facilius mox intelligemus, qui fieri potuerit, non solum ut Marklandus, sed ut Wolfius vir summus tam saepe mirum prorsus in modum occaecatus res vel apertissimas non dispiceret: non mirabimur deinde, si consimili judicio [1]) etiam Tacito pulcherrimam Agricolae vitam derogatam videmus; non mirabimur denique, quod Ciceroni non modo aliae multae orationes, sed ab eodem Wolfio [2]), quocum nos nunc agimus, etiam Tulliana ad Caelium epistola (Famil. II, 14), quam nemo addubitat, cum in alienum forte locum in uno codice irrepsisset, similibus argumentis exagitata abjudicataque ac vel Brutinis quae vulgo Ciceroni tribuerentur epistolis postposita est. Quid? si ad vivum rem resecare vellemus, nonne hoc uno rationis suae specimine luculentissimo se ipse jam Wolfius optime refutavit? nonne satis hinc apparet, quantum ponderis atque

---

1) quod edidit Herd, Comm. de Agricolae vita quae vulgo Tacito adsignatur, Schweidn. 1845. Vide contra Halmii censuram in Heidelb. Jahrbb. 1846, p. 590—610.

2) in Litter. analect. IV, p. 381. V. etiam Savels p. V, not. 12).

momenti gustui, ut ita dixerim, illius judicioque parum firmo in dirimendis rite ejusmodi controversiis tribuendum sit?

Nolumus autem nos eam disputandi viam ingredi; exponere potius conabimur, quae illa sit judicandi ratio, quae tantos possit errores committere. Haec vero primum eo plerumque vitio laborat, quod ad pravam ab initio normam judicium suum dirigit. Scilicet quamvis multa illius asseclae ac grandia verba de peculiari scriptoris alicujus indole interioreque ejus quasi natura cognoscenda faciant, nequaquam tamen ipsi id agunt, ut accuratae eum considerationi subjiciant omnesque ejus non solum virtutes sed etiam vitia indagent; immo universam quandam summae perfectionis imaginem cogitatione sibi informant, et vel in hac constituenda recentiorum potius temporum quam antiquorum indolem respiciunt; ideoque mox omnia, quae nobis nunc non prorsus perfecta esse videntur, vetere scriptore indigna censere et, si plura ejusmodi reppererint, totos libros illi derogare coacti sunt, quasi omnia quae a veteribus profecta sint omnibus numeris absoluta esse necesse sit, immo etiam nostro gustatui. Jure autem imprimis tria requiruntur in eo qui de veterum litteris judicare velit 1): ut rite intelligat; deinde ut deponat omnem turbam opinionum hodiernarum (quibus qui circumseptus et inclusus est, vix probabit ea quae artissime cum illius aetatis sensu et judicio conjuncta ex eaque apta sunt); postremo ut in ea inciderit, quibuscum indole et natura conspiret ipse.

Facilia sunt illa quidem ad intelligendum 2); nec vero aeque facilia ad exercendum, praesertim quod postulatur, ut non tam ex nostratium quam ex veterum auribus atque ingenio scripta veterum examinemus, cum tamen hoc maxime in judicio de oratoribus antiquis ferendo firmiter tenendum sit. Scilicet alia tum placebat eloquentiae species, alia nunc; quod qui non reputant secum, ne Ciceronis quidem veram imaginem animis suis proponere possunt 3): offen-

1) V. Bake, Scholica hypomnemata, Tom. I, 1837, p. 2 sq.; p. 31 sqq.

2) etsi ne intellexit quidem Marklaxd; v. p. LIII »Omnibus et temporibus et locis eadem sunt praecepta perfectae eloquentiae.«

3) Praeclare hac de re monuit Madvig, Opusc. Acad. 1834, p. 192,

dantur hi necesse est, in oratore, si jactat se in illecebris fulminibusque orationis (Ep. ad Att. 1, 14), si periodorum ambages aucupatur, si sonum quaerit et numeros, si paucos locos dimittit nisi exhausta uberrima verborum figurarumque copia [1]; multa denique nunc declamatoria putanda, quae veteribus vere oratoria videbantur. Quanquam nos quidem proprie ex novissimo demum tempore de orationibus publicis, ac praecipue de eis, quae ad majorem hominum mixtamque multitudinem habentur, recte judicare possumus; si quidem antea experientia prorsus hac in re caruimus, doctis autem experti saepe doctiores sunt.

Verum etiamsi, ut par est, ad veterum sententiam te accommodaveris, ne sic quidem neque Ciceronem licet neque alium scriptorem vitiorum prorsus immunem fuisse censere; immo in eo cernitur vera hominis vel rei admiratio, ut affingere ei quicquam nolis neque nimium ei tribuere; quocirca bene meruit de ipso Cicerone Bakius, quod peculiarem dissertationem [2] scripsit de oratoria ejus indole deque nimia apud vulgus atque immoderata ejus praedicatione. Omnino nequaquam omnia utique pariter perfecta sunt summorum hominum dicta, scripta, facta; et ipsi homines sunt, et ipsi vitiis erroribusque obnoxii, quantumvis licet inter ceteros emineant [3]; neque Cicero etiam sibi hoc,

---

not. 1) »Ciceronem perfectum esse oratorem statuunt; quid autem sit Romanis perfectum visum, suo judicant sensu; quae displicent, Ciceroniana esse negant. Qui si totum Ciceronis scribendi genus libere considerassent, nossent multa Romanis oratoria visa esse, quae nobis declamatoria videantur, flumen ornatorum verborum, si logicorum severitas adhibeatur, turbidum saepe reperiri, argumenta multa et enthymemata et valde infirma poni, et eadem aliis atque aliis verbis repeti.« Cf. etiam Eichstädt, Specim. III de or. Catilin. p. 14; Heusinger apud Bardili ed. Corn. Nep. Staverenianі, T. II, 1820, p. 406 sq.

1) Cf. contra vi c. Markland p. LVIII »Vix usquam apud verum Ciceronem legimus vocem supervacaneam.«

2) Scholica hypomnemata, I, 1837, p. 1 sqq.

3) Rectissime hoc monuit jam Quint. 10, 1, 24; v. etiam Drumann, Gesch. Roms, V, p. 472; Bremi ad Corn. Nep. Them. 9, §. 1 »Auch die alten Schriftsteller haben ihre Gebrechen und Schwachheiten, deren Individualität und psychologischen Ursprung man weit eher aufsuchen soll, als sich erlauben, Kleines mit grösserm Uebel zu vertreiben.«

non dico *posse* accidere, sed *accidisse* revera testari verecundatur [1]). Necesse est igitur familiaritatem ineas cum Ciceronis scriptis quam plurimis, eaque contracta ipso deinde usu, quomodo scripserit Tullius, quomodo non, edocearе; ita demum cum veri similitudine aliqua, si quid postea a consuetudine illa nimis recesserit, suppositicium id esse concludere licebit.

Quanquam ne hoc quidem auxilio omnibus difficultatibus sanum judicium liberatur, nam cum minime, si quid non aliis praeterea locis Tullianis legitur, statim abjudicandum ab eo sit, plerumque ex universo potius scriptoris ingenio [2]) atque ratione judicium suspendendum est; hinc vero fit, ut saepissime summa hujus quaestionis ad interiorem potius animi sensum et velut gustum quendam singulorum redeat [3]), qui cum in diversis hominibus et ipse diversissimus esse possit ac soleat, nihil sane miri cernes in eo, quod non minus de latinitate proba ac vere Ciceroniana statim ab initio valde discrepaverunt judicia [4]), quam omnino de omnibus singulorum scriptorum virtutibus vitiisve; quid, quod exclamationes plerumque acerbiores [5]), quarum crepitus inanis faciliorem sane, quam rationum severitas, pugnandi potestatem largitur, ipsorum plane argumentorum vi-

---

1) Cf. Ep. ad Att. 3, 12, 2 »Percussisti me etiam de oratione prolata. Cui vulneri, ut scribis, medere, si quid potes.... Quia scripta mihi videtur neglegentius quam ceterae, *puto posse probari, non esse meam*. Id, si putas me posse sanari, cures velim; sin plane perii, minus laboro.«

2) Cf. etiam Bake l. l. p. 32.

3) ut recte monuit Gesner p. XCI et XCVI; cf. etiam Wolf p. XLII (»illud *nescio quid*«); Joh. von Müller, Werke, VII, p. 139, ep. 363 »Nichts ist eitler, als *die inneren Gründe*, die *sichere Kritik*, wonach jeder jedem der grossen Alten ohne einiges Zeugniss irgend eines Alten ein Buch abspricht, *weil es ihm nun so dünkt*; es ist rechter scandalöser Aberwitz.«

4) Cf. Drumann l. l. V, p. 471; Bähr, Gesch. der Röm. Litt. II, 1845, pag. 276.

5) Cf. etiam Zumptio assentiens C. Fr. Hermann, Vindic. Brutin. epimetr., 1845, p. 5. »His nullum criticorum genus magis obnoxium est arrogantiae: nam quum ipsi sentire videantur, quantulum argumentis valeant, demirando et stultos appellando, si qui aliter judicare audeant, rationem quasi terrere ac vincere consueverunt.«

cem subisse apparet! Veluti quod primum et maximum nostrarum orationum vitium commemorat MARKLANDUS [1]), molestissimus ille taediique plenus omnium sententiarum verborumque languor, qui non tam argumentis demonstrari possit quam sentiri a singulis, aliorum prorsus fugit hominum aciem, qui tamen non minus vel etiam diligentius fortasse quam Marklandus in Tullio pernoscendo versati erant [2]). Quid igitur, num fallaci ejusmodi sensui magna auctoritas tribuenda, si quidem aliis quoque praeter te ipsum persuadere studes?

Accedit porro, quod minime omnes Ciceronis orationes aeque perfectae sunt; immo et ipse sensim demum profecit et, posteaquam, depositis nonnullis antiquitatis vitiis, usu denique atque experientia optimum dicendi genus et cognovit et assecutus est, nihilo minus etiam postea nonnunquam paullo remissior erat in dicendo neque semper *praesectum*, ut ait Horatius, orationes *castigavit ad unguem* [3]). Itaque nullo pacto solae orationes praeclarissimae [4]) firmam rectamque in critica exercenda judicii nostri normam efficient, sed omnes omnino et superioris et inferioris ordinis adhibendae sunt. Quid, quod facile fieri potuit, ut nonnullae, quas etiam nunc habemus, orationes neutiquam ab ipso Cicerone ederentur, sed habitae illae quidem revera a Tullio, ab aliis, qui calamo tantum exceperant eas, deinde proderentur [5])! In his igitur accidisset, ut non modo ultima quasi lima, qua scriptas orationes antequam ederentur perpolire solebat Cicero [6]), destituerentur, verum ne ipsa quidem oratoris verba quamvis velociter notis excepta prorsus integram possent ac fidam totius orationis imaginem praebere, sed mul-

---

1) p. LVIII; cf. etiam WOLF p. XXXV.

2) Cf. v. c. GESNER p. XC sqq.

3) Cf. Tac. (nam equidem sine ulla dubitatione Tacito tribuerim) Dial. de or. c. 22; v. etiam BAKE l. l. p. 27; BÄHR l. l. p. 276 »Man wird auch nicht in allen Reden Cicero's die gleiche Stimmung, wie die gleiche Ausführung und Vollendung erwarten.«

4) ut BECK voluisse videtur in Ed. p. 620.

5) quanquam BECK p. 622 putat, non fuisse hoc Ciceronem concessurum (!).

6) ut scimus de Miloniana; cf. etiam Cic. ad Att. 1, 13, 5.

tis erroribus interspersis mancas haud raro sententias posteriorumve interpolationes exhibere videantur [1].

Immo ut nemo sine vitiis nascitur, ita ne optima quidem illius scripta plane integra sunt labisque expertia; vel in eis, etiamsi a notis caussidicorum artibus fallaciisque, quibus etiam Cicero de industria interdum usus est [2], prorsus discesseris, v. c. historicos errores deprehendere poteris, qui sive memoriae lapsu [3]) sive inscientiae tribuendi videntur, nihil certe contra Ciceronem auctorem probant, ut qui et ipse erroribus obnoxius fuerit [4]).

Quodsi Wolfius (p. XXXVII) errorum peccatorumque in historia animadversionem manifesto pro se pugnare atque etiam indoctissimis assensum eripere censet, ad *solos* equidem id homines indoctissimos stultosque restrinxerim: nam revera hoc sic demum concedi potest, si per certas firmasque rationes Ciceroni illa imputari non licet neque vero solum ad sensum rursus singulorum hac in re provocatur. — Non magis autem omnino negligentia vel obscuritas verborum spurias prodit orationes: quid enim, cum jam supra Ciceronem non omnibus potuisse orationibus extremum perpoliendi laborem adhibere monuerimus, nonne negligentiae indiligentiaeque exempla haud raro ad extemporalem potius summi oratoris impetum vehementiamque referenda erunt, quam ad umbraticam rhetoris qui caussas *rasis*, ut ait Persius, *librat in antithetis* anxietatem [5])? Labori ejusmodi rhetores parcere nulli solent; immo vel putidam, ubicunque caussa admittit, in levissimis rebus diligentiam prodere stu-

1) Cf. Hand in Hall. Encykl. XVII, p. 221 sq. de nostris orationibus; etiam Bähr l. l. §. 281, not. 5), p. 262.

2) Hoc praetervidit Markland p. LXXIV. Sed cf. Cic. pro Cluent. 50; etiam Gesner p. XCVII sq.; Klotz, Cic. Reden, III, p. 988 med.; Savels p. XV, not. 24).

3) nam μνημονικῶν quidem ἁμαρτημάτων (cf. Cic. ad Att. 13, 44, 3) ne Wolfianus quidem Cicero immunis est; v. Wolf p. 337.

4) V. Drumann, Gesch. Roms, V, p. 474.

5) Ergo ex eo ipso, quod v. c. De har. resp. 17, §. 37, p. 357 »accumulare verba voluit auctor, quae se quaerenti minus opportuna praebebant,« concludere debebat Wolfius, non otii domestici exercitationisque scholasticae illam orationem esse, sed ab oratore simul et excogitatam et habitam esse videri.

dent; quocirca ne obscuritate quidem verborum simpliciter semper vestigia inepti alicujus rhetoris significantur. Quin sunt quae in oratore, quamvis magno multo facilius excusari possint ac defendi, quam in rhetorum commentis: nam cum orationes non tam legi scriptae, quam audiri inter dicendum velint; cum oratores, ubi verba faciunt de caussa aliqua, non id agant, ut omni posteritati praeclara bene dicendi exemplaria largiantur, sed suo potius tempori ejusque rationibus prospiciant, haudquaquam aegre ferendum, si eis interdum verbis quid sentirent, exposuerint, quae nobis obscuriora esse videantur, dummodo melius illi magisque perspicue pro temporum suorum aequaliumque captu atque intelligentia locuti sint. Ipse igitur quasi asciam sibi in crus impingit, quod ejusmodi quoque argumentis probare vult Wolfius [1]), orationem nostram non esse vere Ciceronianam; quanquam omnia ferme ejus argumenta vim habent nihilo majorem.

Hoc vero jam ex antegressis intellectum esse spero, Marklandum et Wolfium nulla omnino, qua tamen imprimis opus est, certa via ac ratione usos esse, sed libere per patentem quasi argumentandi campum vagatos in argutiarum plerumque dumeta correpsisse, ita ut singulae eorum rationes per se spectatae statim corruerent, nihilo minus magna earum multitudo undique collecta primo obtutu commovere lectorem ac pellicere posset [2]). Quippe ancipiti illi

1) veluti De har. resp. 27, §. 59, p. 386, ubi pro sua sententia pugnare ait verba Garatonii »Nisi, quaenam res ista esset, aliunde scires, Clodium Byzantiorum urbem diripuisse crederes«; — cum tamen hoc ipsum pro auctoritate potius orationis pugnet, si quidem aequales Ciceronis bene intelligebant, quid sibi vellet, rhetori contra posterioris temporis neutiquam ita scribere licebat; V. jam Klotz in Ed. ad h. l.

2) Hoc bene sentiens Schützius, partium ille quidem potius, quam veritatis studio ductus: »Omnino tenendum est, inquit (pag. VIII), in hac de orationibus istis disputatione, *nihil agi singulas aliquot reprehensiones convellendo* (v. contra Drumann l. l. p. 474 »Diess sind Einzelnheiten; allerdings; aber das Ganze besteht aus Einzelnheiten.«), etiamsi id cum quadam veri specie fieri posset, sed universum tot argumentorum, quae orationes istas in suspicionem fraudis adducant, inter se conjunctorum firmamentum et robur spectandum esse.« Hac vero ratione quidvis cuivis equidem probaverim!

gladio in scripta, quorum originem in dubitationem adducere student, plerumque invehuntur: si qua non alio praeterea loco Ciceroniano pari modo expressa vel repetita sunt, ecce manifesta rhetoris miseri vestigia! contra si quid revera in aliis Ciceronis scriptis recurrit, quid aliud nisi tristissima Ciceronianorum locorum compilatio [1])?

Profecto non admirandum, quod hac via usus vel summus vir sensim pedetentimque in judicium delapsus est, quod sana disquisitio mox debile prorsus et fallax esse intelliget: nam si revera praestantiores non minus quam pejores orationis alicujus loci contra Ciceronem auctorem testarentur, nihil sane restaret, quo vel in optimis orationibus nomen Ciceronianum tueri possemus: nec enim quicquam humani omnibus partibus aeque perfectum est. Intelligunt quidem et ipsi illi, ita nihil fere se, quod probari possit, reliqui facere, ideoque Wolfius [2]), ne Ciceroni verba jam simili in occasione pronunciata repetere postea licuisse prorsus negare videretur, compilationem illam rhetorum posteriorum multum diversam esse ait a fortuita propriorum dictorum repetitione. Sed qui tandem singulis locis inter temerariam ejusmodi quasi rapinam interque simplicem repetitionem discernas? Sunt sane notae, quibus propria vel etiam prorsus communia ab eis, quae quis aliunde imperite sumpsit surripuitque, internoscas; sed hae, nisi fraus plane manifesta fuerit, plerumque rursus diverso singulorum sensu nituntur nec ita comparatae sunt, ut cuivis statim de veritate earum persuasum sit. Qui igitur jam sequitur, necesse esse falsarius ea, quae nostrae orationi cum aliis communia sint, ex Pisoniana et Sestiana suffuratus sit [3]), non vero ipsum

1) Cf. Gesner p. XCII et p. 308; Drumann, Gesch. Roms, V, p. 473 »Abschreiber und Dollmetscher tragen die Schuld, wenn in Reden, die für ächt gelten, die Critik nachhelfen muss; bei den andren beweisen ihre Sünden, dass das Ganze von einem Rhetor stammt, und die untadelhaften Stellen bestätigen es, denn diese hat man aus den ächten verlornen oder aus den übrigen entlehnt, um mit mehr Sicherheit zu täuschen.«

2) p. XLIII et p. 308, probante Beck l. l. p. 619. Cf. etiam Markland p. LXI.

3) ut putat Orelli, Onomast. Tull. I, p. 68, not. 1), sec. Markland p. LIV; Beck l. l. p. 627.

Ciceronem similia argumenta persecutum similibus etiam verbis usum esse? Neque repperi apud Wolfium, neque ipse indagare potui ulla hujus necessitatis indicia; immo nihil aliud videmus, nisi id quod prorsus consentaneum est in oratore, qui non nova semper sententiarum suarum specie allicere auditores, sed ipsa re veritateque commovere eos studet, ubi saepius in diversisque concionibus 1) de eisdem agendum erat rebus, temporibus, hominibus, multa, quae jam prius in alia oratione dicta erant, jam in simili caussa simpliciter repeti; quos quidem locos si Wolfius pannos statim tristi rhetoris opusculo misere assutos existimat, eodem modo ne Pisonianam quidem orationem revera Ciceronis esse probari potest, sed ab imitatore ejus ex Sestiana aliisque compilatam, vel Sestianam ex Pisoniana et nostris orationibus, vel aliam ex aliarum locis compositam 2). — Eo minus autem offendemur repetitionibus illis, si maximam partem in Clodii perstringenda nequitia turpissima versari viderimus: nemo enim post reditum ex exsilio Ciceroni odiosior, nemo magis suspectus aut formidolosus erat, quam unus Clodius: hujus effrenatam semper temeritatem metuebat, hanc furiam pestemque reipublicae omnibus precibus detestabatur, nec antea destitit saluti reipublicae diffidere, quam Dis faventibus illius monstri timore liberata esset. Hinc iterum iterumque scelera Clodiana enumerat, expingit, exagitat; hinc quacunque utitur occasione ad vim illius auctoritatemque infringendam; hinc eadem identidem proferre non dubitat, modo hostem reipublicae constringant potentiamque ejus convellant.

Haec cum non reputavissent apud se viri docti, non modo omnia, quae argumentorum speciem prae se ferebant, undique conquisiverunt, verum posteaquam nescio quomodo semel de orationum illarum origine antiqua dubitare coeperunt, mox etiam, qui aperte refragarentur sententiae suae, locos ita tamen explicare consilioque suo accommodare ag-

---

1) neque enim eosdem usque, qui jam antea audierant oratorem, etiam postea homines adstitisse consentaneum est; quanquam Beck p. 619 hac de re dubitat.

2) Bene de ea re disputat Weiske l. l. p. XI; cf. etiam Gesner p. XCIII.

gressi sunt, nihil ut inde vel plane contrarium concludi posse videretur [1]. Omnino cum, si quis abrogandum esse scriptori alicui librum demonstraturus est, argumentorum vi ac ratione, non affirmatione tantum res conficiunda sit, nihilo minus Wolfii castigatio caussis plerumque destituta est [2]) nec quicquam nisi nimium vituperandi pruritum prodit, quo solo ductus ne ab ineptiis quidem haud raro proferendis vir doctus abhorret. Nimirum cum totas has orationes pravas atque insulsas esse statim ab initio sibi persuasisset, in ipsa deinde disquisitione taeduit eum, ut *delirumenta illa ad rationem redigeret*, vel mediocrem operam in locis rectius intelligendis collocare [3]): quae non simplicissimam facillimamque admittunt explicationem, ut ridicula continuo atque absurda nobis propinantur; neque solum per temerariam prorsus interpretandi negligentiam vera scriptoris sententia raro intelligitur [4]), sed tam indigne nonnunquam scriptor tractatur, ut, cum clare appareat quid sibi velit, nihilo minus scurrili more prava sententia ejus verbis subjiciatur, quasi de risu excitando agatur, non de extricanda veritate [5]). Gravitas judiciique severitas, quae in vita quotidiana nonnunquam remittitur paullulum, in scientia certe semper servanda est. An condonabimus Wolfio nugas suas joculosque, quia vetus scriptor, qui id non sen-

---

1) Sic in loco, qui temporum Ciceronianorum peritissimum fuisse oratorem demonstrat, Wolfius (p. 325) callide, ne dicam perfide, notat: »Id *casu*ne an doctrinae Oratoris adscribam, deus aliquis scierit.«

2) Cf. ejus Edit. De har. resp. §. 59, p. 387 »... ex nota elegantia sed *quae non erat hujus loci*« (cur tandem non erat?); §. 62, p. 390 »haec levissima rei mentio ante portam claudendam nimis putida videri debebit;« at aliis non videtur; quid igitur jam sequitur?

3) cf. p. 348 »Mihi religio est, hanc scabiem tangere«; p. 350; p. 358 »Ipsa tota sententia putida est. Quid quaeramus de verbis singulis?« Quippe usquequaque Aristotelium illud secutus est, quod laudavit p. 384 »εὔηθές ἐστι τὸ τοὺς εὐήθεις τῶν λόγων λίαν ἐξετάζειν.« V. autem nos de Plutarchea Herod. reprehensione §. 38, not. 4).

4) quod ipse concedit Wolf, cum dicit p. 359: »Interdum legentem facile occaecat ipse declamator futilitate sententiarum et antithetis suis.«

5) ut in Marklando excusando non verecundatur dicere Wolfius p. 342: »Quidni liceat interdum illudere scriptori, ubi indignus est seria reprehensione?«

tiat, castigetur [1])? — equidem contra etiam vivos maluerim homines acrius impugnasse, quam mortuos, quos facile est vincere defensione carentes.

Indignamur ferme, cum tales sententias verbis summi oratoris, ut haec indigna eo esse ostenderentur, suppositas videmus, quales non Cicero modo, sed nemo omnino homo sanae mentis, ne puer quidem, facile proferret [2]), quasi in solo Cicerone ne minimum quidem vitium tolerandum, cuivis contra alii scriptori quamvis incredibiles ineptias imputare liceret. Ipsae ejusmodi sententiae ab omni ratione abhorrentes optime Wolfio aliam criticae viam ingrediundam esse ostendere poterant, si quidem reapse non singularem suam opinionem quovis pretio defendere, sed omnino verum explorare studebat. Jam vero factum, ut, qui integra mente ad hanc quaestionem aliasque simili modo tractatas accessissent, nonnunquam prorsus dubitarent, utrum viri docti, qui ineptos ejusmodi jocos facetiasque pro argumentis protulissent, serio revera id quod sentirent nobiscum communicavissent, an potius lepida usi ironia plane contrarium ostensuri fuissent [3]). Quocirca haud sane inepte Rossius episcopus ad refutandam Marklandi sententiam consimili modo ipse in alia veterum scripta genuina tanquam serio strenueque invectus est eaque cavillatione sua universam illius rationem risui ludibrioque objecit [4]).

Poteramus igitur etiam nos obliqua ejusmodi refutatione Wolfii auctoritatem convellere; verum praetulimus simpli-

---

1) quam quidem excusationem sane quam lepidam ipse sibi vindicat p. XXVI.

2) veluti Marklandus (p. 349) oratoris hujus haruspices non *futura*, sed *facta dudum et praeterita praedicere* ait: cum *praedicere* idem h. l. esse, quod simplex *dicere*, et ipse deinde neget. Hinc interdum infantem hominem in orationibus nostris audire sibi visus est Wolfius (p. XXXIV), scilicet Wolfianos lusus proferentem.

3) Veluti Saxius p. IV, not. 10) Schroeterum (quem ipse Beierum putat) in addubitanda Ciceronis pro Archia oratione nihil aliud egisse censet, nisi ut irrideret imitando rationem Wolfianam; quanquam postea (v. Lattmann, de vindic. hac or., Gott. 1847, p. 1—3) a. MDCCCXXXIX et XLI Büchnerus hunc impetum acrius etiam renovavit. V. etiam Wolf, Praef. ad or. Marcell. p. XL.

4) quod aegre fert Wolf p. X sq.

cem hanc multorum, quibus ratio ejus laborat, vitiorum descriptionem, quae miro vituperandi prurituo ccaecatum ne ipsum quidem, cujus maxime interesse debebat, Wolfium oculis nostris subtrahere studere, sed haud raro aperte prae se ferre modo vidimus. De industria autem paullo fusius hac de re disputavimus, et ut praefationibus, quae dicuntur, Wolfianae et Marklandianae, ex quibus omnia fere illa repetita sunt, aliquid certe responderetur; et ut universam quandam pravae, quam illi secuti sunt, rationis imaginem oculis nostris menteque informaremus, ex qua sola saepe tam perversa judicia explicari possunt; et vero etiam quod nihil aptius videbatur ad Wolfii auctoritatem, quae hac quoque in re apud multos etiam nunc summa est, infringendam, quam universas ejus leges ac praecepta lectoribus ipsa simpliciter enarrare atque exponere: non enim arbitror cuiquam illa probatum iri.

§. 2. *Quae potissimum via in exercenda altiore quam vocant arte critica ineunda videatur, ostenditur.*

Nec vero satis est vitia rationis Wolfianae detexisse, sed jam etiam nobis commonstrandum, quibus potissimum argumentis nitendum videatur, ut librum aliquem ab eo, qui vulgo ejus auctor esse perhibetur, abjudicandum esse nobis persuadere possimus: cum hoc viderimus, deinde demum, quid singulis, in quibus Wolfius pedem offendit, locis momenti tribuendum sit, recte dijudicabimus. Et hic quidem, ut paucissimis sententiae nostrae summam praemittamus, *omnino negativis, ut ita dicam, positiva, internis porro externa argumenta ac testimonia praeferenda sunt.*

Etenim quanquam semper nos in ejusmodi quaestione tractanda cautissimos esse necesse est ac quicquid praesumere bonum donec probetur contrarium, tamen sic certissime derogandum esse scriptum ei, cui antea tribuebatur, ostendemus, si ad alium id scriptorem idoneis argumentis vindicaverimus [1]), quando duos quidem auctores habere il-

---

1) quae quidem lex, ut ridiculum exemplum afferamus, vel in Epistolis obscurorum virorum (p. 177 B ed. MDLVI) observata est, ubi commentariis a Caesare abjudicatis statim postea in illius locum Suetonius auctor tribuitur.

lud non potest. Hoc vero optime rursus *externis* argumentis stabilitur, sive ipse, qui vulgo auctor putabatur, in aliis, quae fortasse minus nota erant, scriptis genuinis librum illum ad alium scriptorem refert, sive alia vel antiquitatis vel bonorum codicum testimonia aliud auctoris nomen nobis tradunt, sive denique ipsi scripto idoneae adhaerent notae atque indicia externa, ex quibus veri auctoris nomen elici possit [1]. — Quanquam secundum externa illa argumenta ac praeter ea etiam *interna* licet in rem vocare: nam si res nonnullae, quas auctor qui putatur in reliquis libris genuinis nulla coactus necessitudine prorsus aliter narravit tractavitque, apud unum tantum alium scriptorem pari similive modo leguntur; sive tota, quae regnat per librum, dicendi forma atque indoles, quantopere ab illo abhorret, tantopere ad hunc solum quadrare videtur, haec satis gravia sine dubio argumenta sunt, quibus commoti aliter atque antea de auctore scriptionis judicemus.

Contra multo magis de judicii nostri veritate atque constantia dubitare debemus, cum nescimus, cui alii scriptum a priore auctore abjudicatum jam nos attribuendum arbitremur; quippe facile ita fieri potuit, ut temere ipsi nobis offensiones crearemus injuriaque propter eas auctoritatem originemque libri addubitaremus, cum contraria ex parte, ubi simul verum auctorem monstrare possumus, positiva (si hoc dicere licet) et negativa argumenta altera ex alteris subsidium accipiant fidemque majorem. Quanquam nolumus quidem negare nos, etiam *negativa* haec sola per se, dummodo cautio adhibeatur, magni habenda esse, praesertim si *historica* potius *externaque* sunt, quam ex solo de quo agitur scripto repetita. Sic ex veterum scriptorum antiquitatisque omnino testimoniis concludi potest, in aliud necesse esse tempus cadat liber, de quo agatur; vel etiam, qui vulgo auctor censeatur, scripsisse eum quidem de eodem similive argumento, sed prorsus diversa ratione disputasse de eo aliumque titulum imposuisse, ita ut imitatoris potius opus in manibus habere videamur, quod etiam eo nonnunquam

1) veluti propter acrostichon *Διονυσίου τοῦ Καλλιφῶντος ἀναγραφὴ τῆς Ἑλλάδος* Dicaearcho, cui antea tribuebatur, nuper jure derogata est.

a genuino scriptoris libro discernere licet, quod singuli nonnulli loci fragmentaque, quae sola ex illo aetatem tulerunt, in imitatoris illa scriptione non exstant. Potest etiam fieri, ut scriptor aliquis antiquitatis, cui fides habenda est in enumerandis omnibus auctoris, de quo dubitamus, scriptis eum tamen librum, qui et ipse vulgo ab eodem illo conditus esse tradatur, non commemoret, ita quidem, vix ut negligentiae tantum hoc imputare liceat; cum reliqua, quae interdum ex veterum scriptorum de scriptione aliqua silentio ducuntur, argumenta sane quam infirma plerumque sint nec quicquam nisi ansam fortasse disquirendi revera praebeant. Denique etiam id certe attentos nos reddat necesse est, si exiguum aliquod scriptum in veterrimis codicibus, auctoris nomine non adscripto, ad finem operum scriptoris alicujus adjectum reperimus: haec enim res saltem suspiciones in nobis excitare potest, cum saepe a librariis, ne vacui quicquam spatii remaneret, ad calcem libri quem descripserant parvula alius scriptoris opuscula adjuncta esse sciamus; atque augebitur etiam illa suspicio, si forte alias praeterea ejusmodi scriptiones eadem appendicula contineri apparuerit.

Praeter externa autem, quorum praecipua modo memoravimus, dubitationum argumenta etiam hic, etsi minoris rursus momenti sunt, *interna* porro spectanda erunt. Quippe possunt nonnulla, quae in libro aliquo narrantur, ab vulgati, ut ita dicam, auctoris aetate prorsus abhorrere; possunt alia, quae pro illo tempore necessario desiderantur, deesse in eo; possunt denique narrationes sententiaeque in eo exstare, quas scriptor, a quo profectae eae vulgo putantur, multo secus sibi informare atque enarrare solebat. — Porro ut ab illis, quae ad res potius quam verba spectant, ad ea jam argumenta transeamus, quae ex ipsa lingua dicendique ratione desumpta sunt, nonnunquam inde dubitationes nascuntur, quod dicendi aliquot formae verbaque singularia in libro, quem tractamus, exstant, quae vel ad confectionis tempus vulgato aut superius multo aut posterius nos relegant, vel certe aliis locis ab auctore vulgato de industria vitata sunt indolique ejus repugnant [1]; deinde si

1) nam per se sola, nullo alio momento accedente, ἅπαξ λεγόμενα nihil prorsus efficere consentaneum est.

universa, quae elucet ex scripto aliquo, vitae rerumque existimatio, tota cogitandi dicendique ratio, scriptoris denique sors vitaeque vicissitudines ab ejus, cui addicitur illud plerumque, tanto opere discrepant, nullo ut pacto ejusdem esse hominis censeri possit [1]); tum ubi certae atque evidentes, quae in genuinis scriptoris alicujus operibus ubivis severe observantur, linguae leges ac praecepta [2]) in libro, quem et ipsum ille confecisse dicitur, prorsus negliguntur violanturque, vel etiam verba nonnulla dicendique formulae, quae valde adamavit scriptor [3]), in libro, qui ad eundem refertur, mirum in modum evitata sunt aliaeque in eorum locum substituta videntur: — haec omnia contra auctoritatem illius scripti afferri possunt. Postremum id quoque fieri potest, ut in libro aliquo ipso illo quidem nihil omnino reperiatur, quod aut pro auctore ejus pugnare, aut contra eum testari videatur, cum tamen ex magna, quae inter hunc et alios libros idoneis rationibus suspectos vel derogatos scriptori illi omnino intercedat, similitudine concludendum sit, eidem ipsum atque hos auctori tribuendum esse.

Haec fere sunt, quibus sanum integrumque judicium nitatur necesse est, argumenta, quanquam in eis, quae ultimo loco protulimus, vix possumus nimis cauti esse, ut quae vel et ipsa a singulorum sensu pendeant, vel tamen ad suspicionem potius in nobis excitandam idonea sint, quam ut persuadeant nobis de veritate. Proinde videamus jam, ordinem modo indicatum secuti, quantum tandem singulis, quibus Wolfiani nostram De haruspicum responso orationem non esse Ciceronis evincere studuerint, argumentis tribuendum esse ponderis videatur.

---

1) nam dictionis certe interdum species diversa, quam plura ejusdem scriptoris opera prae se ferunt, ex diversa ipsorum eorum natura oriri potest; veluti si historica scripta Taciti cum ejusdem De oratoribus dialogo comparaveris.

2) quale apud Plutarchum anxium hiatus evitandi studium conspicitur. V. nos de Plutarchea Her. repr. §. 41.

3) ut apud Plutarchum (v. nos ibidem §. 42, nott. 1 et 2) conjunctiones »οὐ μὴν ἀλλά«, »καὶ μήν«, alia; apud Ciceronem »*videri*« saepissime usurpatum.

CAPUT ALTERUM.

QUAE ET QUALIA CONTRA AUCTORITATEM ORATIONIS NOSTRAE VEL PROLATA SINT ARGUMENTA, VEL ETIAM PROFERRI POSSINT, VIA AC RATIONE [1]) DISQUIRITUR.

A. §. 3. *Num extricaverint Wolfiani vestigia quaeritur, quae secuti reprobato Cicerone verum orationis auctorem invenire possimus.*

Ac primum quidem si firmissima, quae contra vulgatum alicujus scripti auctorem pugnarent, argumenta ea esse monuimus, quae ad alium eumque certum scriptorem illud vindicandum esse monstrarent, optimo hoc artis criticae fundamento prorsus carent Wolfiani. A Cicerone illi quidem ostendere student orationes nostras proficisci non potuisse; nec tamen alium norunt scriptorem, quem in ejus locum substituerent. Namque quod aut provincialem aut negligentem hominem peregrinumve in Urbe degentem [2]), veluti aliquem Aonium Palearium ex celebri secta Ciceronianorum [3]), pro auctore earum habendum esse putaverunt, hoc Wolfius ipse hariolando tantum conjectum esse ait. Neque plus proficit in tempore confectionis definiundo, quod Marklandus non multis annis post aetatem Ciceronis [4]), vel accuratius post Valerium Maximum et ante Asconium [5]), ergo inter annos Urb. C. DCCLXXXVI (32 p. Chr.) et

---

1) Cf. quae supra §. 2. disputavimus.

2) Cf. Markland p. LVI; Wolf p. XXXIX; Beck l. l. p. 627.

3) ut ait Wolf p. XLIII.

4) cf. pag. LV.

5) cf. p. LXXVI et pag. 333 ad Har. R. 9, §. 18. Contra Marklandi rationem, qua idem hanc falsarii scriptionem jam Asconio pro Ciceroniana valuisse existimaret, recte disputavit Madvig, De Ascon. commentariis, p. 76, not. 3).

DCCXCVI (42 p. Chr.), compositas eas suspicatur; Wolfio [1]) deinde veri simillimum est, conscriptas eas esse aliquanto ante Asconium, imperante Tiberio; Orellius [2]) denique ab inepto declamatore primis Augusti annis, circiter ante a. U. C. DCCXL (14 ante Chr.), scriptas eas putat. Haec vero omnia cum falsis omnino indiciis conclusa sunt, tum nullum aliud habent fundamentum, nisi id quod, etsi vere Ciceronianas orationes illas esse non poterant sibi persuadere viri docti, tamen ad aetatem fere Ciceronianam referendas eas intellexerunt. Modo igitur ipsam illam persuasionem eorum inanem esse atque temerariam demonstraverimus, omnia statim, quae sola ea nitebantur, simul et ipsa corruant necesse erit. Quocirca illico jam ad eas caussas transibimus percensendas, quas Ciceroni auctori refragari illi putaverunt atque perseverarunt.

B. *Quare possit abjudicanda a Cicerone oratio nostra videri, disceptatur.*

Particula I. §. 4. De externis argumentis.

Inter negativa autem, ut ita dicam, haec argumenta maximum momentum supra vidimus esse eorum, quae non tam ex ipso scripto, quam ex aliis extrinsecus testimoniis repetita essent; hinc igitur initium capiemus. — Ac primum quidem, ut hoc repetam, quanquam non plane esse *τῶν ἀδυνάτων*, omnes antiquitatis testes ab homine imitatore scholastico deceptos esse, Wolfius (p. XIX) statuit, stimulus tamen ille resedisse videtur in animo renitentis; quocirca mox Ciceronem censet [3]) dixisse illum quidem reapse de haruspicum responso, quam orationem veteres scriptores laudent, nostram vero orationem posterioris demum declamatoris esse, qui illam variaverit ex eaque cum alia tum

---

1) Praef. ad or. Marcell. p. XXXVIII; quanquam ei ne opus quidem erat ante Asconium eas ponere, si quidem huic fortasse etiam vere Ciceronianas orationes praesto fuisse censuit in Praef. ad nostras orr. p. XXXIX sq.

2) Onomast. I, p. 68, not. 1); cf. jam Bähr, Gesch. d. Röm. Litt 1832, p. 521.

3) V. supra pag. 9, not. 4).

ea, quae Asconius Pedianus [1]) laudasset, in suam transtulerit. Ipse autem hic locus Asconianus revera pro Wolfio quodammodo pugnare videtur, ut MADVIGIUS certe existimavit, qui propterea potissimum illi adstipulatus est. Hic [2]) enim illud minime negligendum ait, quod Asconius bis *de haruspicum responso*, non *responsis* agi hac oratione scripsisset: si enim declamator ex vera oratione declamandi occasionem arripuisset, quid facilius fuisse, quam ex responso responsa facere, quo plura dicere posset. — Verum enimvero cum exigua ejusmodi inscriptionis diversitas omnino vix praecipui momenti censenda esset, tum accedit quod prorsus contrarium inde, atque quod Madvigius voluit, sequi videtur. Non reputavit quippe apud se vir doctus, ex eodem Asconii loco aeque recte atque etiam facilius concludi posse, ipsam orationem, quam etiamnunc habemus, *De haruspicum responso*, non *responsis* inscribendam esse; id quod etiam certius nobis persuadebimus, cum ipsam illam hac de re consuluerimus. Legitur enim c. 5, §. 9 »Respons*um* haruspicum *hoc recens* de fremitu in concione recitavit, *in quo cum aliis multis* scriptum etiam illud est cett.« Hinc autem, id quod vel per se satis consentaneum est, facile colligitur, universum rerum responsionumque, quae omnes ex una tantum prodigii illius ansa defluxissent, complexum a Cicerone simpliciter vocatum esse »haruspicum respons*um*«, in quod unum singulae illae conflatae sint atque conjunctae; quamobrem cum de summa potius totius responsi universaque ejus vi Ciceroni dicendum esset, quam de singulis per se ejus partibus, multo elegantior Asconianus est orationis titulus [3]) ipsiusque etiam firmatur verbis Tullii, qui similiter porro dicit §. 10 »Reperietis enim ex *hoc toto* prodigio atque *responso* ...«; deinde c. 6, §. 11 »ex *hoc* haruspicum *responso* decrevit senatus«; tum c. 9, §. 18 »gravitate *responsi* commotum esse«. — Haudquaquam enim repugnat, quod altera ex parte etiam *responsa* haruspicum nonnullis orationis nostrae locis commemoran-

1) in Cornelianam, apud ORELL. T. V, P. II, p. 69 sq.

2) De Asconii commentariis p. 76.

3) ut etiam WOLFIUS recto suo ac nativo sensu ductus in Summarii initio (p. 301): »Haruspices, inquit, *hoc* fere *respons um* reddiderunt.«

tur; immo certas subjacere rationes apparet, propter quas ad singulos illos locos pluratīvus numerus melius, quam singularis, quadravit. Veluti ubi legimus c. 13, §. 29 extr. »ad *haec* haruspicum *responsa* redeam, ex quibus est *primum* de ludis«, vel 16, §. 34 in. »sed jam haruspicum *reliqua responsa* videamus«, vel 17, §. 37 »video, in haruspicum *responsis haec* esse subjuncta«, vel 27, §. 60 »id, quod *extremum* est in haruspicum *responsis*«: nonne sponte elucet, his locis non tam de toto responso agi, quam singulas ejus partes, et ipsas responsiones, inter se opponi? quo factum est etiam, ut non in initio orationis, sed postea demum, cum singulae eae partes deinceps percenserentur, pluralis ille nobis occurreret. Quodsi denique c. 28, §. 61 scriptum est »Ad haruspices aut referri nuntiata ostenta non convenit, aut eorum *responsis* commoveri necesse est«; hic non de uno tantum hoc, sed de omnibus universe omniumque temporum responsis sermonem esse [1]), vel inde cernas, quod »*nuntiata ostenta*« Cicero commemorat, cum tamen haec oratio unum tantum, de quo ad haruspices relatum sit, portentum [2]) respiciat. Immo etiam hinc videmus, *quot referantur ostenta, tot ab haruspicibus dari responsa*; quocirca nostrae orationi Asconianum potius titulum tribuemus, licet jam Quintilianus [3]) De haruspicum *responsis* Ciceronis librum laudaverit.

Veruntamen eundem illum Asconii Pediani locum etiam Wolfius aliquo modo suae sententiae favere intellexit: nam cum in nostrae orationis c. 12, §. 24 Megalensibus primum P. Scipio Africanus ante populi consessum senatui locum dedisse narretur, ex Asconii verbis sequi opinatur vir doctus [4]), factum quidem illud commemoratum fuisse in vera Ciceronis De haruspicum resp. oratione, neque vero ullam ibi

1) ideoque etiam »*convĕnit*« pronunciandum esse, non »convēnit«.

2) Cf. §. 9 »responsum *de fremitu*«; §. 10 »de toto *hoc ostento*«; »ex *hoc* toto *prodigio*«. In extrema demum oratione (§. 62) ad sonitum illum ab Latiniensibus auditum Cicero de suo alterum quoque adjungit portentum.

3) Instit. or. 5, 11, §. 42 »Utitur eo Cicero in libro de aruspicum *responsis*«.

4) pag. 340; cui adstipulatur Schütz l. l. in not. ad pag. 156.

factam mentionem Megalensium. Corruptus quippe locus Asconianus ita legebatur [1]: »... *quibus primum ludis ante populi concessum* (sic!) *senatui locum P. Africanus iterum Cos. et collega ejus Sempronius Longus. Hoc tributum esse senatui scribit, sed sine mentione Megalensium* cett.« — Ibi prima verba ex orationis nostrae loco laudato desumpta sunt usque ad »*P. Africanus iterum Cos.*«; deest tantummodo verbum Ciceronianum »*dedit*«, quanquam fortasse ex corrupta voce »*concessum*« concludi potest, Asconium potius scripsisse »*consessum concessit*«.

Deinde vero Wolfius etiam verba »*et collega ejus Sempronius Longus*« Ciceroni ab Asconio tribui censet, ita ut insequentia jam Asconii de Cicerone judicium complecti videantur. At de collega illo Scipionis nihil prorsus in loco, quem Asconius ante oculos habuit, legitur; neque verba »*hoc tributum esse senatui scribit*« bene quadrant in oratorem, quem non minus hic, quam paullo superius in eodem loco factum est, *dixisse* potius scribendum fuit. Quamobrem cum verba »*et collega ejus Sempr. L.*« corrupta esse viri docti mox intelligerent, vario modo [2]) emendare locum conati sunt, quanquam jure in eo omnes consenserunt, ut insequentia verba »hoc tributum esse cett.« non ad Ciceronem oratorem, sed ad nescio quem *scriptorem*, cujus nomen ante illa excidisset, referenda esse sibi persuasissent. — Ergo quantum ex obscurioribus Asconii verbis elici potest,

---

1) Cf. Praef. ad Orr. Wolf. p. LXXI.

2) Madvig, De Ascon. Ped. comm. p. 73, not. 2) scribit ».. *iterum Cos.* * *et collega ejus Sempronio Longo hoc tributum* cett.«; Savels contra l. l. p. XIV, not. 23) ».. *iterum Cos. ille Major dedit.* ** *hoc tributum* cett.« Apud utrumque autem nomen scriptoris cum Valerio Antiate, qui antea commemoratus erat, non consentientis supplendum est. Simplicissimum sine dubio esset, verba »*collega ejus Sempronius Longus*« arte cum sequentibus conjungere, ut ipse Sempronius scriptor ille censendus esset, quanquam Sempronium *historicum*, Catonis et Fabii aequalem, aliunde quidem non novimus. Similiter autem haud ita multo post Lutatius Catulus (Cic. Brut. 35, §. 132) de consulatu suo librum scripsit, et Sulla commentarios de rebus suis reliquit. — Quod vero Plinius (Nat. Hist. 13, 13) Cassium Heminam, qui a. 146 demum vivebat, *vetustissimum* auctorem appellat, facillime explicari potest, modo ut alios, ita Sempronium *Graece* potius scripsisse ponamus.

ipsi veteres de illo festo disceptasse inter se videntur [1]); si quidem Valerio Antiate et Livio auctoribus de ludis Romanis, secundum Ciceronem de Megalensibus, secundum tertium auctorem nondum exploratum omnino tantum de votivis consulum ludis cogitandum est. Immo maluit fortasse Cicero de industria ad Megalensia potius factum illud referre, quod hoc melius ad orationem suam ejusque argumentum quadraret. Num vero timendum, ne quis in posterum Wolfii illud Schützüque retusum quasi telum in orationis nostrae αὐθεντίαν intendat?

Praeter has duas autem, quas nos modo removere studuimus, offensiones nihil omnino, quod Ciceroni orationem deroget, exstat argumentorum externorum; omnia contra veterum hac in re testimonia, ut infra videbimus, pro ipso illo auctore pugnant, nec quisquam adhuc, praeter Markландум [2]) fortasse, in eo haesitavit, quod Tullius non et ipse aliis locis, orationem ut suam laudando, hoc testaretur; immo *habuisse* eum omnino ejusmodi orationem etiam Wolfius concedit.

Particula 2. De internis argumentis.

a. §. 5. *De eis, quae ex orationis rebus historicis repetita sunt, argumentis.*

Transeundum est igitur jam ad alteram classem argumentorum, quae non extrinsecus, sed ex sola oratione ipsa desumantur; et ab eis quidem exordiemur, quae *historica* quodammodo appellari possunt. Hic vero primum et Marklandus et Wolfius offenderunt in loco c. 3, §. 6 »*T. Annio devota et constituta ista hostia esse videtur*«, quia quattuor demum annis post (a. U. c. DCCII, a. Chr. 52) Clodius occisus esset, Cicero autem, etiamsi illud praesagire potuisset, tamen si publice id consilium antea effutiret, pro stulto vel cerrito homine habendus esset. Veruntamen licet nobis et ipsis, hoc quidem loco argutias captare Gesnerum et Klotzium arbitratis, revera Cicero verbis illis aperte accusa-

1) Cf. etiam Madvig l. l. p. 72; Klotz ad h. l. p. 987 sq.
2) Cf. pag. LXX. V. contra Savels p. XI sq.

tionem, tacite caedem Clodio minari videatur, nihilominus Wolfianas (p. 317) sermonis ineptias invenire non possumus. Immo quemadmodum Clodius identidem [1]) aperte dicebat occidendum Milonem, significavit hoc saepe in senatu, dixit in concione; ita ne Milo quidem suum consilium occultabat, sed Ciceronis casu haudquaquam exterritus prae se ferebat [2]). Nihil igitur peccavit, praesertim illo tempore, Tullius, quod rem in vulgus notam et ipse tecte in oratione sua [3]) significavit. — Quid, nonne etiam suspicio illa, qua post perpetratam Clodii caedem tangebatur [4]), demonstrat, jam antea Cicero aliquo certe pacto quasi conscium sese illius facinoris praebuerit necesse esse, quo nisi postea vel suasisse ipsum Miloni, ut hominem utrique infestissimum maximeque invisum interficeret, putare homines, inimici incriminari eum haud obscure auderent? Scilicet quod postea Cicero acriter hoc negat neque quicquam ait [5]) de caede Clodii moliunda unquam auditum esse ex Milone; et epistola illa (4, 3, §. 5) ad Atticum data refutat ipsum, nec quicquam omnino ad rem, quod jam ut patronus ac defensor Milonis non nimia sincerae veritatis religione tenebatur [6]). — Itaque verba, de quibus modo egimus, licet simplici sua ac propria vi intelligenda ea concesserimus, nihilo minus Cicerone auctore plane digna esse arbitramur.

Si vero porro Tullii μάστιξ ignorantiam rhetoris scholastici colligit ex c. 6, §. 12, p. 324, ubi *Lucius* Claudius commemoretur rex sacrorum, quod, cum sacrificulum constet regem ex patriciis sumendum fuisse, Claudii patricii in repudiando praenomine *Lucii* inter se consenserint, jam Gesnerus recte monuit, facillime litteram illam *L.* ex *C.* (= Gajus) corrumpi potuisse, nisi forte propter summam,

---

1) Cf. Cic. Milon. 9, §. 25 sq.

2) Cf. Cic. ad Att. 4, 3, §. 5.

3) ut etiam Post red. in sen. 8, §. 19, p. 40; Epist. ad Att. 4, 3, §. 5.

4) Cf. Cic. Milon. 18, §. 47; Philipp. II, 9, §. 21 sq.

5) pro Milone 19, §. 52.

6) Prorsus similiter Philipp. II, 9, §. 22 »Quod igitur, inquit, cum res agebatur, nemo in me dixit, id tot annis post tu es inventus qui diceres« —, cum tamen revera jam Pro Milone 18, §. 47 contra eandem hanc suspicionem se defendisset. V. nos supra p. 15, not. 2).

quae ex crudelissimis Marii Sullaeque proscriptionibus [1]) orta erat, patriciorum hominum penuriam etiam ad plebem tunc munus illud devenisse statueris. — Quid vero, quod multa illa pontificum nomina, quae falsarius multo postea vix fingere ausus esset, apertissime Ciceronem ad haec verba auctorem vindicant [2])!

Deinde contra c. 16, §. 35 (»*Ad nostrum, ut se ipse appellavit, Imperatorem*«) obmonet Marklandus, non ipsum se imperatorem appellavisse Pisonem, sed a legionibus id nominis adeptum esse; quasi hoc negaverit omnino orator, a militibus illum appellatum esse. Scilicet senatus potissimum erat hanc appellationem duci alicui a militibus impertitam decreto suo confirmare deinde ratamque facere, idque Pisoni abnuerat senatus [3]).

Tum notatur [4]), quod tantummodo unum ex multis, quae Cassius Dio 39, 20 commemoraverit, ostentis ab oratore nostro allatum tractatumque sit; quem, si plura scivisset, sine dubio multo verbosius in his rebus versaturum fuisse. »At jam Drumannus [5]) jure monuit, cum Dionea quoque portenta omnia ex terrae motu orta esse ideoque de hoc solo haruspices a senatu consultos esse videri; tum ex silentio ejusmodi, si talia inde elicere liceret, etiam Dionis rursus ignorantiam colligi posse, ut qui horribilem terrae motum in agro Piceno Potentiae eodem fere tempore factum, quem orator noster c. 28, §. 62 memorat, prorsus neglexisset omisissetque. Verum integra manebit et Dionis et Ciceronis auctoritas, nisi forte, quemadmodum ante ex silentio oratoris, sic hic ex eo contra, quod solus postremi illius portenti mentionem infert, concludere vult Wolfius miserum eum fuisse declamatorem, uti fere fecit [6]) c. 21, §. 45, ubi Pompejus vocatur sodalis Clodii.

---

1) Cf. v. c. Vellej. Paterc. 2, 22.

2) quare vel Schütz l. l. p. XXVIII hac in re Gesnero assensus verba illa ex genuina Ciceronis oratione a declamatore in suam translata existimat.

3) Cf. De prov. consul. 6, §§. 14 sqq.

4) a Wolfio l. l. in Summario p. 304.

5) Gesch. Roms II, p. 327, not. 47).

6) Quippe adscripsit p. 370 ad h. l. »Cum ignarissimis nescio, unde

Itaque vidimus jam, omnes illos orationis nostrae locos, qui historica ratione contra Ciceronem auctorem allati sint, aut nihil omnino probare, aut contrarium; proinde ad ea nos nunc argumenta interna vertamus, quae ex *lingua* sermonisque Tulliani consuetudine ducta sunt; quid haec valeant porro disquisituri.

β. §. 6. *De vis argumentis, quae ex neglectis sermonis legibus petuntur.*

Quoniam vero non id agimus, nihil ut nisi refellere quoquo modo Wolfium studeamus, et ipsi partium studio tracti; quoniam potius ab ira ac studio pariter remoti solam veritatem spectamus, non modo, quae jam a Marklando et Wolfio contra auctoritatem orationis nostrae monita sunt, sub judicium nostrum vocabimus, sed praeterea etiam, quaecunque posse omnino aliquo pacto suspicionem excitare videbuntur, etiamsi ab ἐνσταtικοῖς illis neglecta sint, nihilo minus aeque diligenter tractabimus.

Poterit autem primum quispiam in eo offendere, quod legimus c. 3, §. 5 »*Eum nunquam a me esse accusandum putavi*« et c. 8, §. 16, p. 329 »*domus, quam senatus a* p o n t i f i c i b u s *liberandam, a* m a g i s t r a t i b u s *defendendam, a* j u d i c i b u s *puniendam putaret*«. At quanquam ex vulgaris grammaticae legibus constat, gerundivum, ubi per perspicuitatem hoc liceat, cum dativo auctoris, non cum praepositione »a« conjungendum esse, nihilo minus duo illi loci optime habent. — Scilicet interest aliquid inter utramque constructionem: praepositio »a« nihil significat, nisi simpliciter actionis alicujus auctorem; contra dativus praeterea internam quandam, quae inter auctorem interque rem perpetrandam intercedat, rationem atque necessitudinem exprimit. Recte igitur dictum est »*A Milone*, non *a me* accusandus est Clodius«; de nulla enim alia re agitur, nisi de externa accusatoris persona: nisi Milo unus omnium aptissimus fuisset ad Clodium accusandum, procul dubio et Ciceronem et quemvis alium bonum civem decebat accusa-

---

hic honor veniat Pompejo, et ex quo sodalitio« —; quo loco jam Klotz jure monuit: »Diess darf keinen Verdacht wecken.«

toris munus suscipere; ergo etsi *Ciceroni* ille quidem accusandus esse quodammodo dici poterat, tamen non *a Cicerone* accusandus erat. — Aeque recte alter deinde locus habet: nam quanquam ipsi magistratus defendendum sibi aliquem putare poterant, nimirum ex ipsorum sententia judicioque, tamen, ubi jubentur hoc facere a senatu, ministri tantum sunt hujus collegii ejusque consiliis perficiundis inserviunt. Itaque *senatui* defendendus erat Cicero, senatuque auctore *a magistratibus*. — Etiam aliis locis similibus, ut consentaneum est, eadem Cicero constructione utitur; veluti Milon. 38, §. 104 »*a vobis*, judices, conservandum virum« [1].

Deinde vero Wolfius offendit in (c. 8, §. 17) verbis »*quem ajebant negare ferre me posse*«, monuitque in nota: »Cicero haud dubie [2]) addidisset *se*, ut vere notavit Ernestius.« Eodem jure vituperare poterat infra c. 22, §. 47 »nisi Pompejo adjutore, quae faciebat, facere clamaret« et De domo 14, §. 37 »dicere, filium senatorem populi Romani sibi velle adoptare«. — At falso illud notavit Ernestius; immo vere Ciceronianum est ita pronomen omittere [3]), eaque res tam nota est hodie ac vel grammaticis [4]) trita, ut nihil nobis de ea jam agendum videatur.

Contra unam, quam nos quidem in hac oratione deprehendimus, offensio gravior iccirco a Wolfio neglecta est, quod et ipse legem, contra quam ibi peccatum est, ignoravit [5]). Legitur enim c. 11, §. 22 »*Quod ni tu Megalesia illo die spectare voluisses, haud scio an vivere nobis jam liceret*«. Haec autem verba si ex bonorum scriptorum usu consuetudineque Ciceroniana explicaveris, prorsus contrarium exprimunt ejus sententiae, quam scriptor sine dubio verbis suis subesse voluit; ex mente quippe oratoris ita in-

1) Plura congessit Schneider in Jahnii N. Jahrbb. 1845, XLIV, p. 461 sq.

2) In Wolfianis certe verbis Cicero, bonique omnino scriptores, po-suissent »sine dubio«. V. Stürenburg in Comment. I ad Offic. p. 135.

3) Cf. Tuscul. 2, 17, §. 40 »Ferre non posse clamabit«.

4) V. jam Frotscher ad Rut. Lup. p. 112 et Peter, Observ. Cic., Meining. 1838, p. 10—13; deinde nuper etiam gramm. Lat. Krügeri p. 761, not. 2) et Kühneri §. 128, ann. 4.

5) Similiter certe peccavit, cum p. XLIII scripsit »dubito an«

terpretandum est, quasi facile fieri potuisset dixerit, nisi Lentulus affuisset, ut non jam vivere liceret Ciceroni. Ad hanc vero sententiam exprimendam probo scriptori [1] dicendum erat potius »*Haud scio an vivere nobis jam non liceret*«. Quid igitur? num nihilominus in nostra quidem oratione tolerabimus illud barbareque hic Tullium locutum esse statuemus? an tandem aliquando Wolfio duce orationem tanto vitio inquinatam ab summo Romanorum dicendi artifice abjudicabimus? In neutram credo sententiam sanum integrumque judicium inclinabit, praesertim cum in aliis orationis hujus locis idem illud »*haud scio an*« rectissime usurpatum sit; ut c. 5, §. 10 »quod ostentum *haud scio an* gravissimum multis his annis huic ordini nuntiatum sit«, vel c. 7, §. 14 »multae sunt domus in hac Urbe, atque *haud scio an* paene cunctae jure optimo«. — Librariorum quidem negligentia nostro loco »*non*« illud omissum vel »an« pro »*num*« scriptum esse, ne id quidem verisimile esse videtur; at nonne alia quoque via patet eaque facillima, qua universam quidem orationem etiam nunc probemus ut vere Ciceronianam, hunc tantum unum locum ab inepto aliquo grammatico vel interpolatore explicationis causa adscriptum esse censeamus? Quid, si reliqua verba examinamus, nonne offendit conjunctio illa »*nisi*«, quae forma, in prisca potissimum oratione aut quotidiano vitae sermone apud Romanos usitata, apud Ciceronem raro tantum legitur, in orationibus ejus, quod sciam, nusquam [2]? — nonne porro offendit in verbis statim inse-

1) V. Haase ad *Reisigs Vorlesungen* 1839, p. 476, not. 441), qui ut antiquissimum hujus peccati exemplum praeter nostrum locum laudat Epist. *Caecinae* apud Cic. Ep. Famil. 6, 7, §. 3, ubi legitur »*Nescio an tibi gratius opportuniusque acciderit*«. At non licet ibi cum Haasio supplere »*si de te copiosius scripsissem*« (alioquin enim »accid*isset*« supra scribendum fuit); immo aeque facile ac rectius suppleri potest »*quod parce et timide de te scripsi*«. Ita vero vel Caecina, qui (l. l. §. 1) »se adhuc stili poenas dare« ipse fatetur ejusque rei exemplum statim dat, cum dicit (§. 2) »qui scit et *persuasus est*«, — vel hic vim locutionis »*nescio an*« probe tenuit, ideoque nostrae ille orationis locus primus omnino, ubi peccatum sit hac in re, esse videtur, vel potius et ipse propterea in tempus multo posterius removendus erit.

2) nam quod in Or. Caecin. 23, §. 65 »tum illud, inquit, quod dicitur Sive *Nive* irrident« et similia nemo certe contra me afferet.

quentibus forma ablativi »*aedili*«, cum bonorum scriptorum usu [1]) etiam Cicero et aliis locis et in ipsa oratione nostra (c. 12, §. 24 extr.) meliore potius forma utatur »*aedile*«? Vel haec sola qui reputaverit secum, non Ciceroniana illa verba putabit, sed grammatici nescio cujus glossema esse intelliget; eaque suspicio hoc prorsus confirmatur, quod ad sententiam quoque verba illa cum novi omnino nihil afferunt, sed explicant tantum reliqua paullo accuratius; tum ne elegantiam quidem ullam produnt [2]), qua vel in repetitionibus ejusmodi verus Cicero facile cognoscitur. — Omnia igitur etiam nostro loco bene constituta erunt, si, ejecto glossemate »Quod ni tu Megalesia .... immissa irrupit«, simpliciter scripserimus: »*Eos, quorum ..... Mater Idaea te, te, Cn. Lentule, ... spectatorem esse voluit. Tua tum, tua, Cn. Lentule, eadem virtus fuit* cett.«

Porro qui ex recentioribus grammaticis, *personarum* tantum, quae dicuntur, genitivum, rerum contra ablativum cum voce *refertus, a, um* conjungendum esse didicerit, in eo quoque haerebit, quod c. 13, §. 28 refertam orator Romanos ait Urbem atque Italiam *fanorum* habere. At cum omnino praeter fortuitam exemplorum nonnullorum speciem nulla prorsus grammaticorum illius legis ratio intelligi potest, tum similiter v. c. legitur Cic. Fam. 9, 18, §. 4 »ollam *denariorum* implere«, alia; nec tamen denaria sunt personae. Tantum igitur abest ut offensionis hic locus ansam praebeat, ut refutet contra ipsam illam grammaticorum legem.

Quod deinde c. 15, §. 33 legitur, »sacra *illa tua*« [3]), hic fortasse unus ex plurimis illis locis erat, unde apparere ait Wolfius [4]), notissimum, quod inter pronomina *ille* et *iste* intercedat, discrimen parum cognitum fuisse huic scriptori.

---

1) V. jam Wolf ad h. l.; Klotz in Handwörterbuch der Lat. Spr. I, 1847, p. 176. Quocirca idem Klotzius in editione sua orationum etiam nostro loco correxit »aedile«, sed temere.

2) quocirca hunc quidem locum majore jure, quam plerumque, reprehendit Wolfius p. 337 sq., Ernestium secutus.

3) Sic etiam »*hic tuus*«; v. Reisigs Vorles. p. 361 infra.

4) ad c. 27, §. 59, p. 385. Ceterum nota illo loco variationem pronominum »*ille*..., *iste*..., *hic*...«, quorum suam quodque vim ibi tuetur.

Velim equidem, plurimos illos locos [1]), vel certe aliquot ex eis laudaverit vir doctus: nos enim nullum omnino totius orationis locum deprehendere potuimus, unde concludendum illud putaremus. — Sic prorsus recte pronomen »*iste*« legitur c. 13, §. 27, p. 345; §. 29 extr.; c. 17 extr.; c. 20, §. 43, p. 367 [2]); c. 22, §. 46, p. 371 bis; aliis locis. Corruit igitur haec quoque Wolfii reprehensio exemplis destituta.

Neque postremo c. 22, §. 47 (»*nonnullorum alienatione a quibusdam*«) in hac conjunctione per solam praepositionem effecta nimis offendendum est [3]), praesertim cum substantivum *alienationis* verbalem suam originem prorsus manifesto prae se ferat. V. Kühner, Schulgramm. 1845, §. 109, ann. 10). — Si vero ut hoc extremum afferam, c. 27, §. 57 genitivi forma *parentum* apparet, quanquam usitatiorem Ciceroni »parent*ium*« fuisse non nego, tamen in aliis quoque orationibus illa exstat, non solum Post red. in senatu c. 1, §. 2, sed v. c. etiam Cael. c. 32, §. 79.

Itaque ne hac quidem ratione, ejecto glossemate illo de quo modo disputavimus, quicquam repperimus, quod Cicerone indignum existimari posset.

γ. *Sententiae orationis nostrae aut elocutio num ab indole Ciceroniana recedant, anquiritur.*

§. 7. *De praecipuis rationibus, quas in fraudium vestigiis odorandis secutum se ait Wolfius.*

Jam vero quanquam, quae majoris auctoritatis esse poterant, argumenta Wolfiana in antecedentibus infregisse nobis videmur, tamen etiam alia restant, multa aeque atque infirma, *ex eloquendi ratione* sententiarumque nexu repetita, quae nunc aggressuri sumus. Ac primum quidem cum ipse,

---

1) sic enim potius, non »plurim*a* loc*a*«, dicendum erat Ciceronis castigatori.

2) Nimirum *alloquitur* senatores; qua de re non videtur cogitasse Klotz, cum scripsit in Edit. sua »*itaque* illum cett.« pro »*Istaque res* illum cett.«

3) Quippe paullo aliter habet locus Philipp. II, 1, §. 1 (»tuam a me alienationem«), quod hic inclusa sunt verba »*a me*«, artiusque ideo cum reliquis cohaerent.

credo, intellexisset Wolfius, totam qua usus esset artis criticae rationem ebrio potius, quam sobrio, numine regi videri, ne quivis statim incerto tantum aut crepero usu cujusdam verisimilitudinis opinionisque arbitrio [1]) argumenta Wolfiana niti existimaret, universas nonnullas leges rationesque praemisit [2]), ad quas singulae deinde animadversiones orationibus subjectae revocari possent a lectoribus. Loquitur igitur non solum (pag. XXXVII—IX) de erroribus peccatisque in historia Cicerone indignis, quae in orationibus nostris deprehendantur, verum etiam (pag. XXXI—III) de ratione grammatica, (pag. XXXIII sq.) de logica sententiarum veritate, (pag. XXXIV—VII) de elegantia et ceteris virtutibus rhetoricis [3]), (pag. XL sq.) de civili prudentia quadam, (pag. XLI sq.) de charactere qui dicitur Ciceronis proprio [4]). Quae omnia cum aut desint orationibus nostris, aut minime sint Ciceroniana in eis, sequi jam censet Tullii castigator, ut orationes illae Ciceroni derogandae videantur.

Verum enimvero generales ejusmodi rationes, etiamsi per se verissimas eas esse neque ullam dubitationem admittere constaret [5]), ne sic quidem quicquam probarent; immo quaerendum jam est, et omnino pendeantne revera singulae annotationes ab illis, et vero etiam, si ita videtur, numne forte per abusum potius, ut facile fieri potest, ad singulos illae locos relatae sint, quos recte explicatos aut breviter defensos saepissime plane integros evadere videbimus. — Proinde omissis illis, quae universa disseruit Wolfius, ad singulos statim locos accedamus dijudicandos, quandoquidem solo ipsorum examine ejusmodi quaestiones ad liquidum perduci possunt [6]). Quanquam moderationem quandam hac in re adhibebimus, ne ponamus simpliciter omnia cum taedio lecto-

1) quod et ipsum se perhorrescere ait Wolf p. XXIX sq.; etsi nihilo minus non evitavit ille.

2) uti fere Plutarchus De malign. Her. c. 1 extr. »κακοήθους οἷον ἴχνη καὶ γνωρίσματα διηγήσεως« judicio lectorum statim initio subjicit.

3) Cf. etiam Markland p. LVIII sqq.

4) V. etiam Beck l. l. p. 619 sq.

5) quod minime de omnibus concedi posse jam supra vidimus §. 1.

6) quod et ipse mox intellexit Wolfius p. XLV; v. etiam Weiske, Cic. Orr. XIII selectae, p. XIII.

rum, si quidem nonnulla vix digna videntur, de quibus vel verbulum moneatur; alia contra, quorum species etiam eruditorum aciem praestinguere poterat, partim jam Gesneri 1), partim certe Klotzii et Savelsii disputationibus ita confecta sunt atque profligata, nos ut actam rem denuo agere nollemus.

§. 8. *De singulis locis, quorum sententia rhetore potius, quam summa oratore digna esse dicatur.*

Ex singulis autem locis eos considerabimus primos, in quorum *sententia* Marklandus et Wolfius offenderunt; id quod saepissime inde ortum esse apparebit, quod, quamnam reapse verbis orationis leviter tantum atque indiligenter inspectae sententiam subesse necesse esset, ipsi parum solliciti erant.

Veluti cum Wolfius ad c. 2, §. 3 (»*Nihil feci iratus, nihil non diu consideratum ac multo ante meditatum*«) inde, quod nihil omnino fecerit Cicero, nisi ut Clodium insequi coepisset, concludit jam, hoc ipsum ex scriptoris sententia multo ante meditatum fuisse Ciceronem (id quod absurdum foret); totas has ineptias Wolfius non intellexit ipsum sibi confinxisse eo, quod verbo *faciundi*, quod non magis de actionibus perficiundis, quam de verbis faciundis usurpari potest, prorsus falsam eo loco vim subdidit. Scilicet cum nihil Ciceronem fecisse iratum legamus, haec verba aeque atque antecedentia simpliciter ad orationem referenda sunt, qua pridie Tullius in Clodium tam vehementer invectus erat, ut nonnulli dolore eum elatum et iracundia longius progressum arbitrarentur, quam sapientis hominis cogitata ratio postularet. Hoc quivis concedet, qui integrum judicium ad hunc locum adhibuerit; ac similiter Cicero aliis locis dicit, Sest. 52, §. 111 »sed elatus odio plura dixi, quam dicendum fuit«; Vatin. 1, §. 1 »sed fui paullo ante intemperantior fortasse, quam debui«; Milon. 29, §. 78 »Non timeo, ne odio inimicitiarum mearum inflammatus

1) ut c. 9, §. 18, ubi KLOTZIUS l. l. monuit: »Gesner hat die Ausdrücke unsres Redners mit vollem Rechte gegen Markland in Schutz genommen, und Wolf konnte nur noch höhnen.«

libentius haec in illum evomere videas, quam verius.« — Nimirum in verbis non minus, quam in actionibus moderationem semper utendam esse, Wolfius oblitus esse videtur.

Deinde idem ad c. 3, §. 4 (»*In Clodium vero non est hodie meum majus odium, quam illo die fuit, cum* cett.«), cum quid primis [1]) verbis sibi velit prorsus nesciam, infra monet: »Mitto, quod dicit, non nimio sibi odio fuisse Clodium; nonne sic loquitur, quasi odisse eum non admodum potuerit, quod dudum sensisset, hominem perniciosissimum fore reipublicae?« — Neutiquam vero hoc in verbis inest, de quibus strictim attactis temere rursus Wolfius judicavit. Nihil aliud dicit orator, nisi odium suum statim initio aeque magnum fuisse, ac tunc, quod jam pridem intellexisset, exitiosam Clodium reipublicae pestem evasurum [2]).

Aeque injustam porro rem agit, ubi ad c. 3, §. 5, p. 314 (»*Quid enim hunc persequar, pecudem ac belluam, pabulo inimicorum et glande corruptum?*«) caussam hic ait oratorem, si quam omnino afferat, afferre facetissimam: »Non accusavi, quia bellua est«; in eandemque illam belluam nihilominus longas orationes componere non dedignari. — At ne hoc quidem loco verum orationis tenorem respexit [3]) castigator. Quippe dedignatur Cicero Clodium accusare, non simpliciter quia bellua sit, sed quia quasi bellua pabulo inimicorum et glande sit corruptus. In extremis his verbis praecipua vis inest et gravitas, non in bellua illa Wolfiana. Nihilo autem minus »longas orationes in hanc belluam componit«, quod ipsa illa ultro impetum in Ciceronem facere conatur [4]); ergo non sponte instat Cicero et persequitur Clodium, quem contemptum a se Miloni potius relicturus erat accusandum; sed lacessitus seque ipse defendere coactus, minis tantum hominis turpissimi resistit.

Taedet autem ferme ea quoque contra virum summum proferre, quae quivis puer statim intellecturus sit; quan-

1) »Eodem jure, forsan etiam meliore, dicere poterat *heri:* nam heri nihil fecit iratus.« Quid haec?

2) Cf. infra §. 5 »Non multum mihi sane post ad odium accessit cett.«

3) Quod h. l. intellexit etiam Beck l. l. p. 530: »At vereor, ne ei injuriam fecerit (Wolfius). Nam causa sequentibus potius inest.«

4) Cf. §. 7, pag. 318 et 319.

quam hinc optime cernitur, quanto opere Wolfius praejudicata sua opinione ipse mentis aciem occaecaverit.

Cum igitur legamus c. 8, §. 17 »*Vidi hesterno die quendam murmurantem; quem ajebant negare ferre me posse* cett.«, Wolfius ad h. l. »Quid opus erat, inquit, aliena auctoritate, si illum *quendam* ipse *vidit*, vel potius audivit, *murmurantem*?« At quaeritur primum, num revera h. l. »*vidit* murmurantem« idem sit quod »*audivit*«, et non potius significet tantummodo »vidit labra moventem«; deinde vero etiamsi susurrum ejus reapse auribus perceperit Tullius, qui tandem sequitur, ipsa quoque verba eorumque sententiam ab oratore exauditam fuisse? qui igitur impugnare licet alienam illam auctoritatem, qua in referenda admurmurationis sententia necessario nitendum erat Ciceroni?

Etiam Schützius (l. l. p. XXVIII) unam certe offensionem ipse deprehendit, offensus eo quod orator c. 9, §. 18, p. 332 negat se his delectari aut uti omnino litteris, quae animos avocent a religione: scilicet si ad populum hoc Cicero dixisset, aliquo modo laturum se fuisse ait; in senatu vero prorsus ridiculum fuisse. At verbum *utendi* h. l. non solum universam legendi tractandique vim habet, quod Schützium putavisse necesse est, sed »utar« h. l., ut jam ex adjecto altero verbo »delecter« apparet, idem est, quod »in usum convertam», ideoque »probem, adstipuler«. Omnia igitur recta ac sana.

Cum porro, quas Wolfius Ernestium secutus c. 16, §. 34 (»*De Alexandrinis video esse sermonem: quem ego non refuto*«) in orationem invitam intulit, ineptias jam Klotzius [1]) recte refellat, statim nos nunc convertimus ad c. 27, §. 59, p. 385, ubi, quod Cicero »*Quis*, inquit, *minus unquam pepercit hostium castris, quam ille omnibus corporis sui partibus?*, Wolfius [2]) in nota nullam esse laudem ait, *parcere* corporis partibus omnibus; immo ignavorum hoc esse et omnem laborem detrectantium. Neque vero Ciceronis haec

---

1) qui in ed. sua recte h. l. interpretatur: »Ich sehe, dass (in jener Antwort der Opferschauer) von den Alexandrinern die Rede ist und widerlege diess nicht.«

2) V. etiam Markland p. L; contra Savels l. l. p. XXXVI.

sententia erat, nisi forte ex eo, quod non pulchrum sit omnibus corporis partibus parcere, concludere vult Wolfius, honestum esse omnibus corporis partibus *non* parcere. Immo ne hoc quidem loco vir doctus veram, quae in orationis verbis inest, oppositionem intellexit, quae non tantum, ut ille putavit, in verbo *parcendi*, sed magis etiam in sententia verborum »partibus *omnibus*« cernenda est; quippe nullis Clodius corporis partibus, ne eis quidem quae ad obscenissima pertinerent flagitia, turpissime uti verecundatus est: de obscena enim re sermonem esse etiam sequentia ostendunt.

In eis igitur, quae adhuc tractavimus, exemplis ipsam oratoris sententiam prorsus non intellectam fuisse castigatoribus ejus vidimus; alii vero etiam restant loci, quos aliquo illi quidem modo intellexerunt, sed nodum deinde in scirpo quaesiverunt. — Sic statim initio orationis multa viri docti disputaverunt de verbis »*Putavi mihi reprimendam esse P. Clodii* i m p u d i c a m i m p u d e n t i a m [1])«, quia, ut arbitrantur Marklandus et Wolfius, Cicero non fuerit conjuncturus »*impudicam impudentiam*«. At quemadmodum bene »impudentem impudicitiam« Latine dixeris, aeque recte »impudica impudentia« appellari potest, si quidem utriusque vocabuli vis ad sententiam exprimendam quadrat. Quippe »a bono, ut ait Wolfius, usu loquendi« ejusmodi verborum conjunctiones abhorrent nunquam nec abhorrere possunt, modo probam sententiam praebeant. *Impudica* autem impudentia nulla alia est, nisi ea quae eadem *impudicitiam prodat* [2]). Quaeritur igitur, hocne in Clodii illam impudentiam conveniat. Atqui constat, nullius eum libidinis infamiaeque, ne turpissimae quidem, neque puduisse unquam neque taeduisse; propter quod cum aliis locis [3]) acerbe a

---

1) Quid inter haec duo vocabula discriminis intercedat, optime cernes ex Cic. Cat. 2, 11. »Ex hac parte *pudor* regnat, illinc *petulantia*; hinc *pudicitia*, illinc *stuprum*.« V. etiam Dietsch ad Salust. Catil. 12, §. 2.

2) Nam quod Wolfius vertit »eine schamlose Unverschämtheit«, hoc sane idem, per idem est ac Latine foret »impudentia expers pudoris, expudorata«.

3) ut infra c. 20, §. 42; c. 27, §. 59; De domo 54, §. 139; Sest. 7, §. 16.

Cicerone perstringitur atque conciditur, tum semel 1) simpliciter vocatur *catamitus*. Itaque si in loco, in quo cum maxime versamur, statim postea legimus, impudentia illa sua Clodium P. Tullioni Syro operam navasse atque ei sese, *cui totus venisset*, etiam senatoribus inspectantibus *venditasse*; nonne prorsus in promptu est 2), in his quoque verbis aliquid latere obsceni suspicari? Quod si ita est, quis jam mirabitur, quod impudica vocatur impudentia illa, qua simul contra pudicitiam Clodium probosque viri mores peccavisse appareat? — In sola certe vocabulorum »impudicam impudentiam« similitudine nemo offendet, qui cum omnino ejusmodi allitterationes admodum veteribus placuisse norit, tum ipsorum illorum verborum conjunctionem 3) valde adamasse Tullium; cf. c. 5, §. 9 »pudorem pudicitiamque defendere«; c. 20, §. 43 »pudorem, pudicitiam ... violavit«; Sest. 34, §. 73 »hostis pudoris et pudicitiae«; Milon. 28, §. 77 »jus, aequitas, leges, pudor, pudicitia«; Dejotar. 10, §. 28 »pudoris pudicitiaeque exempla«.

Pergamus jam ad c. 3, §. 5 »*Nihil enim contra me fecit odio mei, sed odio severitatis, odio dignitatis, odio reipublicae*«; quibus de verbis sic judicat Wolfius: »Quicquid fecit Clodius, non fecit odio *Ciceronis*, sed odio severitatis et dignitatis *Ciceronianae*. Ridete, Patres Conscr.!« — Immo indignamini, tam leviter gravissimi oratoris verba explicari vel potius perverti! Fecit scilicet Clodius odio severitatis 4), qua ut ceteri boni ita Cicero utebatur; fecit odio dignitatis senatoriae, qua fruebatur etiam Cicero. Odit igitur Ciceronem non hominem per se, sed optimatem, senatorem, reipublicae providum. Hoc si inepte dictum est, pariter etiam alios locos Ciceronianos nostri simillimos irri-

---

1) in fragm. Or. in Clod. et Curion.

2) quanquam non plane necesse est, ex verbis per se spectatis hoc elicere; cf. infra c. 22, §. 46.

3) quae occurrit nobis etiam apud Salustium (Cat. 12, §. 2) »... *pudorem, pudicitiam*, divina atque humana promiscua habere«; ubi prorsus falso Graser (in progr. gymn. Guben. 1844, p. 11—14) pro »pudicitiam« corrigi vult »*im*pudicitiam«.

4) Cf. etiam Cic. Att. 1, 16, §. 7 extr. »dolorem improbissimo cuique inusserat *severitas consulatus mei*.«

dere debet Wolfius, veluti Pis. 1, §. 2 »*Piso* est a populo Romano factus aedilis, non *iste Piso* (h. e. nominis et generis, non hominis generosique animi caussa)«; vel De domo 25, §. 66 »Non *hominibus* iste, sed *virtutibus* hostis semper fuit«.

Prorsus simili modo alius locus facillime explicatur, in quo omnes adhuc argutias captarunt interpretes, c. 5, §. 8: »*sacra, quae viri oculis, ne imprudentis quidem, adspici fas est, adspectu virili violavit Clodius*«. Namque etsi Gesneri his de verbis commentum reapse acutius, quam verius videri Wolfio assentior, nihilominus sua verbis ac propria vi tributa, omnia proba sunt ac digna Cicerone. Scilicet potuit ille quidem etiam simpliciter dicere »adspectu *suo* violavit«; at cum elegantia praetulit »adspectu *virili*«, quo magis id verbum efferret, cujus solius hac in re ratio habetur: in peculiari enim hominis Clodii persona nullum omnino hic momentum inest, sed in eo solo cardo rei vertitur, quod *vir* erat Clodius; haec igitur notio cum vi repetitur. Cf. quodammodo Cic. Mil. 10, §. 28 »*Muliebris* et delicatus *ancillarum* puerorumque comitatus«.

Porro offendit Wolfius in verbis (c. 7, §. 13, p. 326) »*Religionis explanatio vel ab uno Pontifice perito recte fieri potest*«, monuitque (p. 327) parum sibi constare declamatorem, cum secundum priora ejus verba tollendae religioni duorum pontificum responsum ac verbum sufficeret; dein tribus esset opus; jam vel per unum, scilicet peritum, res fieri posset. At rursus leviter inspecta verba Ciceroniana etiam temere perstringit Wolfius. Neque enim Cicero »*duorum* pontificum responsum« supra §. 12 memorat, sed »*unius* P. Servilii ac M. Luculli responsum sufficere«, ubi vel ex voce »*unius*« apparet »*ac*« ferme idem significare, quod *vel*. Atqui et P. Servilius et M. Lucullus, quod nominatim afferuntur, sine dubio *periti* erant pontifices; quae quidem peritia cum non omnium omnino pontificum aeque esset communis, ex universa lege non unus tantum, sed *tres* (c. 6, §. 12, p. 324) pontifices de gravioribus rebus statuerent necesse erat. Vides igitur, optime sibi constare oratorem.

Quod vero in verbis (c. 7, §. 14 in.) »*De hoc igitur*

loco sacro potissimum videntur haruspices dicere, qui locus solus .... sacer non esse judicatus est?« neminem non videre ait Wolfius, vocem *»sacro«* absurdam esse, erravit vir doctus; immo omnia prorsus plana sunt, ac fortasse etiam Wolfio futura fuissent, si scripsisset Tullius »de hoc loco *tanquam* sacro«; quanquam minime opus est adjecta illa voce.

Deinde c. 8, §. 17 (*»Quid igitur responderem? me civem esse Romanum?* ***Litterate*** *respondissem.«*) disceptatur de vi adverbii *litterate*, quod Ernestius Klotzio probavit significare *»ad litteram«*, Wolfius contra simpliciter carere sententia putat. At mihi *εἰρωνικῶς* h. l. Cicero loqui videtur, ac si nos dicamus: »das wäre mir eine feine und gewitzte Antwort gewesen«; h. e. *absurde respondissem*; etenim civem Romanum esse Tullium et quivis aeque bene sciebat, et ipse, qui interrogaverat, Clodius longe aliud consilium sequebatur, quod optime Cicero responso illo suo fefellit. Ergo *»litterate«* h. l. eodem modo explicandum, quo Cic. De or. 2, 62, §. 253 (»Belle et *litterate* dicta laudantur«).

Quod porro c. 27, §. 58 senatus appellatur *princeps salutis mentisque publicae*, Wolfius (p. 385) »quid hoc sit, nec capit satis, neque alias sibi lectum meminit«. Altera caussa sine dubio gravior erat; videlicet cepisset credo, quod simplicissimum est, modo recordaretur locos, ut De prov. cons. 10, §. 25 »Ordo, qui est *publici consilii* auctor et princeps«, ac magis etiam Milon. 33, §. 90, ubi curia, sedes senatus, vocatur »templum sanctitatis, amplitudinis, *mentis*, consilii *publici*«.

C. 28, §. 61 denique Wolfius Ciceronem ait non *»Ut meliore simus loco, ne optandum quidem est, illo impunito«* dicturum fuisse, sed »... magis optandum, quam sperandum est«. Verum ne hujus quidem loci recte cepit sententiam vir doctus, quae est potius: »Non solum sperare illud, sed ne optare quidem nobis licet, ut qui, impunito Clodio, prorsus indignos nos meliore loco praestemus atque ipsi nobis impedimento simus.« Optime igitur orator hanc sententiam expressit, non illam quidem Wolfianam, sed ipsius; uti alio loco similiter Cicero (Philipp. III, 2, §. 3)

»Nec postulantibus, inquit, nec cogitantibus, ne *optantibus quidem nobis*, *quia non posse fieri videbatur* cett.«

Itaque omnes fere, quorum sententiam Wolfius tanquam absurdam impugnavit, locos, modo recte explicentur, prorsus bene se habere ac neutiquam indignos esse Cicerone, in antecedentibus demonstrare conati sumus; restant autem etiam alii, in quibus ἐνστατικοὶ illi non tam in sententia, quam in elocutione verborumque delectu peccatum esse existiment. Itaque hi quoque nobis jam percensendi sunt.

§. 9. *De singulis locis, ubi in elocutione aut delectu verborum peccavisse dicitur orator.*

Proficiscendum autem hac in quaestione a duobus locis videtur, qui cum in aliis Ciceronis scriptis ferme recurrant, nullius praeterea indigent defensionis nostrae.

Namque quemadmodum c. 12, §. 26 legimus »*Istius modi Megalesia fecit pater tuus? Is mihi etiam generis sui mentionem facit? . . . Tu immisisti* cett.«, quo in loco quod ad tertiam personam (»*Is* mihi . .«) transeatur, molestum censet Wolfius, cum eodem spiritu oratio redeat ad personam secundam; ita prorsus similiter Cicero dicit Pison. 1, §. 2 »Obrepsisti ad honores errore hominum. . . *Is mihi* etiam gloriabitur, se omnes magistratus sine repulsa assecutum? Mihi *ista* licet de me praedicare«. Itaque Pisoniana quoque Wolfio ad declamatorem aliquem vindicanda erat.

Si vero idem ille offendit in c. 27, §. 58 (»*Cn. Pompejum* . . *ferro domum compulit*«) eamque locutionem sumptam esse ait ex Pison. 7, §. 16, ubi respondeat contrariis verbis »me domo mea *expulistis*«, cum nostro loco potius »*domi continuit, inclusit*« exspectemus, relegamus dubitantem non solum ad Cic. De domo 25, §. 67 (»Cn. Pompejum ferro insidiisque *domum conjecit*«), in quo certe loco neutiquam ille offenderat, sed maxime ad Milon. 27, §. 73 (»Singulari virtute et gloria civem *domum* vi et armis *compulit*«). Num Milonianam quoque, quae optima fere inter orationes Ciceronianas fertur, ob hunc locum denegabit Wolfius auctori suo? an in Miloniana licet dicere, quod in nostra oratione non licet?

Etiam reliqui qui huc referendi sunt loci, etsi non tam simpliciter res in eis profligari potest, quam in duobus illis, quos modo attulimus, tamen et ipsi facillimi sunt ad explicandum. Veluti si in Summario (p. 305) Wolfius ineptam illam ac parum Latinam Romanorum, qui dicantur, vatum Latinitatem commemorat, totam hujus offensionis vim jam O. Muellerus [1]) recte eo sustulit, quod vates illos haudquaquam fuisse Romanos, sed Etruscos monuit atque etiam aliud plane similis dictionis ostentarium Tuscum ex Macrob. Saturn. 3, 7 contulit.

Hoc si reputasset apud se Wolfius, num porro (p. 324 in nota ad §. 9) haruspicum verba *»strepitus cum fremitu«*, quibus utitur Cicero in extremo c. 11, etiamsi revera absurda essent [2]), ipsi oratori crimini dedisset?

Verum etiam ipsius nonnunquam Ciceronis verba impugnat Wolfius, ut statim initio c. 1, §. 2, ubi pro parum Latino *»Duobus inceptis verbis omnem impetum gladiatoris compressi«*, satis usitate ait *»Vix duobus verbis prolatis* cett.« dici potuisse. At noluisse hoc Cicero dicere videtur, si quidem ex simplici, qualem adhibere decet, verborum explicatione elucet, nullum potius omnino vocabulum integrum ab eo pronunciatum esse, sed tantummodo incepisse eum duo ac voce ea attigisse [3]), h. e. fortasse litteras eorum initiales protulisse, ut si in alia re dixerit »V. C.« pro *»Videant consules* cett.« Quod Wolfius proposuit, quadraret potius in Milon. 12, §. 33 (»De nostrum enim omnium — non audeo totum dicere«).

Deinde c. 6, §. 11 (*»Domum meam nè una quidem attigit littera religionis«*), ut Ciceronem nobis legere videamur, illico reponendum censet Marklandus *»littera de religione«*. Non vero nos adstipulamur; immo nihil minus; illud quam elegans hoc loco fuisset? nam quae praeterea Marklandus exempla laudat, prorsus diversi sunt generis. Poterat sane dicere *»Cujus* (sc. domus) *religionem*

---

1) Etrusker, II, p. 23, not. 11). V. etiam Zeyss, Röm. Alterthumskunde, p. 595, not. 8).

2) quod minime ita est; cf. v. c. §. 20 »*strepitus* quidem reconditus et horribilis *fremitus armorum*«.

3) ut infra dicit §. 7, in quo ne Wolfius quidem offendit.

... ne una quidem attigit *littera*«; verum littera, quae religione aliquid obtineri ostendit, optime vocari potest *littera religionis*: nam significat religionem littera, spectat ad religionem, ipsa quodammodo religionis est. Quod autem Wolfius (p. 323) contra Gesnerum monet: »Perbene dicitur *calumnia religionis*, quia dici potest *calumniari religionem*; quid autem simile in isto est?« respondemus ei, posse etiam dici »*littera significare religionem*«: nam ipsum quod non exstat verbum »litterandi«, nihil profecto ad rem.

Nemo porro cum Wolfio ad c. 7, §. 13 (»*Ita est enim interpretatio illa pontificum, ut eidem potestatem habeant judicum*«) minime Ciceronianum esse hoc »*ita*« consentiet, qui recte locum verterit, sic fere [1]): »Denn *mit jener Erklärung* der Oberpriester *steht es solcher Gestalt*, dass sie cett.«

Quod deinde c. 8, §. 17 (»*respondi, me, probantibus et vobis et equitibus Romanis, ejus esse civitatis* cett.«) »*me*« illud absurdo loco positum esse censet Wolfius, facile inde explicatur, quod prorsus alienam verbis sententiam subesse opinatus est. Nam haudquaquam Cicero dicere voluit, probantibus senatu et equitibus se respondisse; sed respondit potius, *ab senatu et equitibus probari*, se ejus esse civitatis cett. Quippe suam tantum quisque ipsius, non cujusvis sententiam verbis suis exprimere potest.

Mox c. 12, §. 26 (»*Quod igitur ex aliquo disjuncto diversoque monstro significatum caveremus, id cum i p s u m s i b i monstrum est*..«) Romanus scriptor ex Marklandi sententia posuisset »*ipsum per se* monstrum est«. Verum necesse erat h. l. »ipsum *sibi* monstrum« dicere; non potuit aliter per sententiam orator, ut quae nullo modo ea sit, de qua Marklandus cogitat. Quippe »ipsum per se monstrum« etiam apum illud examen fuisset; at servitium in caveam immissum non solum monstrum erat, quo futurum aliquod periculum significaretur, sed simul etiam periculum illud ipsum resque portento designata. Ergo si ipsum *sibi* mon-

---

1) vel cum Klotzio: »*Denn in einem solchen Verhältniss findet jene Auslegung der Priester Statt, dass dieselben die Befugnisse von Richtern haben;* und ich wüsste nicht, wie man diess besser Lateinisch ausdrücken könnte«.

stru vocatur, nihil aliud nisi ipsum monstrosa sua natura etiam apertius ostendit, quantum ex se periculum reipublicae immineat; id quod clarius etiam fit ex sequentium verborum comparatione. Contra si quid »*disjuncto aliquo diversoque monstro significatur*«, hoc ejusmodi monstrum est, quod, ut plerumque, ab ipsa re, quae portenditur, diversum est; quod non, ut servitium illud idem portentum est et periculum portento significatum. Ubi est igitur mera illa, quam Wolfius his in verbis deprehendere voluit, balbuties, nisi in falsa ejus explicatione?

Jam vero uti c. 13, §. 29, p. 348 (»*alter est rex judicio Senatus per nos, pecunia Brogitarus per te appellatus; alterum putabo regem* cett.«) omnia simplicissima sunt ac perspicua, dummodo, id quod apertum est, videas, priori regi illico Brogitarum opponi ideoque hunc esse *alterum* illum, de quo deinde loquitur Tullius; aeque breviter absolvere licet c. 18, §. 38, p. 360 (»*Homines te defenderunt; homines laudarunt; homines liberaverunt* cett.«), ubi quo jure, *joculari* gravitate vocem illam *hominum* repetitam esse, Wolfius (infra p. 372) existimaverit, quicunque non ab initio praejudicata opinione ad quaestionem accesserit, videat ipse.

Porro Marklandus quidem ad c. 20, §. 42 (»*Hic, de quo ego ipse tam multa nunc dico*«), quae insit in hoc [1]) pronomine *ipse*, nullam videt vim; sed nihilominus, ut jam Klotzius jure monuit, idem significat quod ubivis, oppositionem, et hoc quidem loco eam, quae inter eos, qui tum rempublicam gubernabant, interque Ciceronem intercedat.

Deinde eodem loco p. 365 legitur »*In domesticis est germanitatis stupris volutatus*«, ubi in *germanitatis* illis stupris offensio quaerebatur. At stupra, quae germanitatis sunt, quae ad germanitatem (h. e. ad necessitudinem, quae inter germanos intercedit,) spectant, nulla alia esse possunt, nisi quae a germanis inter se committuntur. Nihil igitur video difficile; immo quod Wolfius usitatius fore ait, »stupra cognationis«, multo minus significat, quam id, quod ipse de industria elegit Cicero. Nam etiamsi non *germana*

---

1) vel ut ipse scribit »insit *huic* pronomini«.

fuisset Clodii soror, tamen cognata, propinqua et esse et dici potuit. Quamobrem cum id ipsum scelus esset unum omnium teterrimum, quod cum germana sorore homo ille rem habere non verecundabatur, optime Tullius germanitatis ea stupra appellat. Cf. etiam Milon. 27, §. 73. »Cum sorore *germana* nefarium stuprum fecit«.

Cum vero c. 24, §. 52, p. 378 verba »*reditus ei gratiae patet*«, ubi Marklandus potius »reditus *in gratiam*« exspectaverat, jam a Savelsio (p. XXXV sq.) recte ita explicata sint, ut *gratiae* pro genitivo, qui dicitur, subjectivo habendum esset; nunc statim ad finem orationis properemus, c. 28, §. 62 (»*nunciatur terrae motus cum quibusdam multis metuendisque rebus*«), ubi cum Marklandus dimittere certe cum pace scriptorem voluerit, Wolfius injustam hanc lenitatem arbitratur. Veruntamen quanquam cum Marklandiana loci defensione 1) ne nos quidem consentimus, nullius prorsus egent verba defensionis. Immo quemadmodum omnino pronomen »*quidam*«, rem aliquam notam illam quidem ei esse, qui loquatur, sed tamen non accuratius definiundam videri, significat, ita h. l. Cicero metuendas illas res ipse novit ille quidem, sed enumerare eas non vult. Quid igitur jam inusitatum? quid falsum, aut indignum Cicerone?

§. 10. *De argumento ex similitudine, quae inter nostram orationem et reliquas a Wolfio impugnatas intercedit, repetito.*

»At, inquiet quispiam, licet singulos locos singulaque verba Cicerone indigna ex hac oratione afferre nequeamus, aliud tamen argumentum pro nobis pugnat minime negligendum, summa similitudo, quae inter hanc orationem interque reliquas Post reditum et De domo habitas intercedit: hinc enim eum appareat eidem omnes auctori esse tribuendas, antea reliquas quoque injuria de veteri possessione motas esse commonstrandum est, quam nobis de hujus orationis auctoritate persuadeas.« — Ac profecto quin ejusdem quattuor illae orationes auctoris sint, vix dubitari potest; jam

---

1) ex qua »*quibusdam multis*« idem esset atque »*aliis multis*«.

Wolfius [1]) hoc recte intellexit. Optimum igitur sine dubio esset [2]), de omnibus orationibus conjunctim et universim, quasi de corpore quodam quattuor partium, disputare; sed hoc pro nostrae quaestionis natura longum est ideoque in posterioris temporis opportunitatem differendum videtur; quanquam eodem modo, quo unam hanc orationem ab impugnatorum offensionibus vindicavimus, etiam in reliquis nos Ciceronis auctoritatem tueri posse, prorsus tibi persuadeas. Itaque non quidem licet nobis etiam ex hac parte profligare propositum nostrum ac plane ad finem perducere; sed eodem certe jure, quo quis propter reliquas orationes de nostrae quoque auctoritate dubitare possit, nobis contrarium inde concludere licet; quamobrem cum omnino sanequam infirmum ejusmodi argumentum esse necesse sit, nos discedendum hinc statim arbitrati, brevem ejus mentionem fecisse satis habemus.

Verum enimvero licet neutiquam ei nos simus [3]), qui tantummodo ex nominibus titulisque homines, scriptores, libros aestimemus, tamen hoc jam ex antecedentibus vidisse nobis videmur, plurimis illis, quae ita protulit Wolfius, quasi nihil omnino contra vim eorum ad pondus obmoveri posset, argumentis internis nihil prorsus effici; si quidem vel maximum talium, quae singula per se nihil probent, argumentorum numerum ne ipsum quidem quicquam probare, inter sanos homines [4]) constat.

Sed quod jam supra de altiore, quam vocant, arte critica monuimus, id ne in nostra quidem quaestione tractanda negligemus, ideoque minime in eo acquiescemus, ut Wolfii quasi tela in ipsum retorserimus; sed etiam ipsam sibi auctoritatique suae orationem nostram firmissimo praesidio esse ostendemus.

---

1) p. XLIV infra; Ad or. pro Marcello p. XXXIX; assentiente Beckio p. 627. Quanquam censori (in Allg. Lit. Zeit. 1802, n. 98, p. 6) hac de re nondum prorsus persuasum erat, atque etiam Schütz p. XVI primas certe duas orationes diversis auctoribus tribuit.

2) ut instituebat Savels p. XI.

3) quos jure se non curare ait Wolfius p. XXIX; cf. etiam Markland p. XLVIII.

4) excepto Schützio; v. nos supra p. 16, not. 2).

CAPUT TERTIUM.

ARGUMENTA, QUAE PRO AUCTORITATE ORATIONIS NOSTRAE PUGNANT, PERCENSENTUR.

§. 11. *Externa veterum hac de oratione testimonia percensentur.*

Ac primum quidem quanquam et Asconio auctore orationes nonnullas ab obtrectatoribus Ciceronis scriptas postea Catilinae et Antonii nomine editas [1]), et Senecae quoque tempore in rhetorum scholis saepius Ciceroniana argumenta tractata esse [2]) probe scio, et quid ex Quint. Instit. 9, 3, §. 94 [3]) concludendum esset, apud me reputavi, nihilominus prorsus adstipulor Gesnero, qui hac in re neque intelligere se ait [4]), cur secundum Marklandum is, qui tam praeclarum opus, pignus velut immortalitatis, confecisset, alteri homini quam ipsi hanc laudem tribui maluerit, et difficillimum omnino illa aetate fuisse aliena scripta Ciceroni subjicere acerrima disputatione evincit [5]), ita ut vel Beckio (l. l. p. 617) concedendum sit, probabilitatis speciem habere Gesneri rationes, etsi nondum omnem in se fraudis suspicionem sustulerint.

Uti autem ne simile quidem veri esse illinc videmus, de fraude hac in oratione cogitandum esse, ita *externa* porro *argumenta* [6]), quorum summum in ejusmodi quaestionibus

1) quod urget Orelli, Onomast. I, p. 68, not. 1).

2) V. Wolf p. XX*); praef. ad Or. Marcell. p. XXIV; Beck l. l. p. 618.

3) quem locum affert Madvig, De Ascon. comment. p. 15 sq.

4) pag. LXXXVIII; etsi dubitat hac de re Beck l. l. p. 617.

5) pag. LXXXIII—VIII; maxima ex parte repetita apud Weiske, Cic. Orr. XIII selectae, p. VIII—XI.

6) de quibus egerunt praeter Wolfium p. XVIII sq. et Savelsium p. XII sqq., qui de quattuor conjunctim orationibus disputarunt, Markland p. LXX sqq., Beck l. l. p. 625 sqq., Schütz l. l. p. XXV sqq., et contra eos Gesner p. XCVI sqq.

pondus esse constat; dubitationibus Wolfianis prorsus obstant[1]). Neque enim solum Arnobius[2]) et Valerius Maximus[3]) locos nonnullos orationis nostrae exscribunt, auctore non nominato; non modo Cassius Dio (39, 20) ipsum illud, propter quod haruspices consulti erant, portentum commemorat idque a Clodio ait in Ciceronem versum esse, sed idem scriptor[4]) etiam accusationes Tullium paravisse narrat; immo Quintilianus[5]) (5, 11, §. 42) *librum de haruspicum responsis* simpliciter Ciceroni tribuit, atque etiam Asconius Pedianus[6]) non solum totam orationem duobus locis ad vulgatum auctorem nostrum vindicat, sed vel integrum locum ex ea laudat, qui reapse in nostra oratione (c. 12, §. 24) exstat. Quid, quod eo major necesse est Asconii hac de re testimonio tribuatur auctoritas, quod omnino vidimus[7]) attendisse eum ad ejusmodi quaestiones!

Ac profecto, Wolfius[8]) ne ipse quidem, externa argumenta contra se pugnare omnia, negare potuit; quanquam nihilo minus, lectorum animos conciliare sibi quodammodo conatus, internis deinde argumentis contrariam externorum vim debilitare studet. Nos vero, qui illa examine paullo accuratiore instituto statim corruere nihilique omnino esse intelleximus, externis, quae fidem antiquitatis in hac ora-

1) nam ex Schol. Bobiens. ad Or. Post red. in sen. p. 248, quae laudat Orelli (Onom. I, p. 68, not. 1), certi nihil concludi potest.

2) V. Markland ad §. 23, p. 338.

3) de quo quod Markland p. LXXVI (cf. etiam ad §. 18, p. 332) statuit, nullo pacto probari posse, jam supra vidimus.

4) 39, 21 in. ὁ δ' οὖν Κικέρων ... ὀργήν τε εἶχε, καὶ κατηγορίας ἐποιεῖτο. Quem locum praetervidisse videntur Markland p. LXX et Wolf p. 304.

5) quem ut omnino non adeo magnum criticum fuisse Spaldingus (ad Quint. 4, 1, 68), ita Marklandus (p. LXXIV sq.) hac in re erravisse putat; cum tamen in Cicerone diligentiorem eum fuisse, jure existimet Madvig, De Ascon. comm. p. 76.

6) in Cornelianam (apud Orellium V, P. II, p. 69 et 70). Cujus auctoritatem universam jam Madvigius l. l. jure contra Marklandum (p. LXX sqq.) defendit.

7) V. supra p. 52, not. 1).

8) Cf. pag. XXVII—IX.

tione defendunt, argumentis admodum in sententia nostra corroboramur.

§. 12. *De internis, quae contra Wolfium faciunt, argumentis.*

Praeter veterum autem illa testimonia etiam internae multae rationes contra νοθείαν orationis nostrae afferri possunt. Sic c. 6, §. 12 non solum in universa pontificum enumeratione accuratissima vel Schützius [1]) apud declamatorem suum offendit, sed magis etiam memorabile est, quod silentio ibi praetermissus est flamen Dialis, cujus locum per longum tempus ab a. 87 usque ad a. 11, ergo etiam a. 56, quo haec oratio habita est, vacuum fuisse constat [2]). Num igitur hac in re Wolfio assentiemur, qui »Id casuine, inquit, an doctrinae oratoris adscribam, deus aliquis scierit«? Certe vel ex uno hoc loco peritissimum fuisse temporum Ciceronianorum scriptorem nostrum satis elucet.

Accedunt autem alii orationis nostrae loci plurimi, qui cum locutiones nonnullas, quas in deliciis habuit Tullius, hic quoque usurpatas ostendant, tum universi admirabilem cum reliquis orationibus Ciceronis similitudinem prae se ferunt. — Neque enim solum παρήχησις, quam lubenter adhibuit ille, etiam nostro oratori placuerit necesse est [3]), sed praeterea eaedem omnino locutiones, quas Cicero valde adamaverat: ut c. 1, §. 2 extr. »*esse videantur*«, quod jam Quintilianus monuit Ciceroni usitatissimum esse, et similiter c. 3, §. 6 »constituta hostia *esse videtur*«; ut porro initio p. 310 »gravitatem *illam singularem ac paene divinam*« [4]); c. 7, §. 13, p. 326 »*ita est enim*« [5]); c. 18 in. »*mihi crede*« [6]);

---

1) l. l. pag. XXVIII.

2) ex Tac. Annal. 3, 58.

3) Cf. c. 4, §. 6 extr. »non modo *vincere*, verum etiam *vincire*«; §. 7 »*impetum impeditus* facit«; c. 11, §. 23, p. 339 »pro *festis* paene *funestis*«; p. 338 »*ludos* ad *luctum* conferre«; uti allitteratio quaedam conspicitur etiam in c. 2, §. 4 »furiis et facibus«; c. 12, §. 24, p. 341 »ut eos *ludos* haec *lues* impura pollueret«.

4) Cf. Philipp. II, 15, §. 39 »ille singularis vir ac paene divinus«; et all. locc.

5) qua de sede conjunctionis *enim* v. Kühner ad Cic. Tusc. 1, 4, §. 8.

6) V. Stürenburg ad Cic. Arch. ed. II, p. 18 sqq.; Madvig, Miscella-

c. 22, §. 47 »quae graviter *equidem*[1]), sed aliquanto levius ferebam«; c. 23, §. 48 »*posteaquam*«, ut dicere solet Cicero pro »postquam«; c. 28, §. 57 »*in hoc*[2]) inesset«, non »huic inesset«; c. 1, §. 1 et c. 2, §. 3 et c. 4, §. 7 et c. 8, §. 17 »*hesterno die*«, quod simplici adverbio »here« praefert Tullius propter majorem vim oratoriam[3]); c. 6, §. 11, p. 322 »*una* mea domus liberata *sola* est« et c. 7, §. 14, p. 323 »*uno* illo *solo* antistite dissentiente«, quemadmodum haud raro Cicero verba »unus« et »solus« inter se conjungit[4]).

Imme etiam totae sententiae atque enunciationes ut in nostra oratione leguntur, sic in aliis Ciceronis orationibus recurrunt; neque desumptas eas ex illis, misero declamatoris opusculo tanquam pannos, ut putat Wolfius, assutos esse, vel inde patet, quod non semel tantum illae, sed plerumque pluribus locis apud Ciceronem deprehenduntur ideoque non contra fidem orationis nostrae, sed pro ejus auctoritate faciant necesse est, praesertim cum optime etiam ad universum sententiarum nexum singulis locis conveniant. Non absonum erit, ad judicium nostrum firmandum nonnullas ex eis hic afferre, omissis tamen omnibus, quas reliqui jam interpretes ad singulos locos laudaverunt ex Pisoniana potissimum repetitas. Sunt igitur ferme hae.

C. 2, §. 3, p. 311. »Mei facti rationem exponere illis volo« ∼ Sest. c. 16 »Exponam hodierno die omnem rationem facti et consilii mei«; porro ibidem »ad consulare officium ipsis insignibus illius imperii vocari« ∼ Sest. 7,

---

nea latinitatis, Lugd. Bat. 1845, p. 41—52; Liebbrkühn in Jen. Allg. Lit. Zeit. 1846, p. 1186.)

1) Violavit ipse morem Ciceronianum Wolfius, cum annotavit: »Scribere Auctor voluit: *graviter quidem, sed* etc.« V. Kühner, Lat. Schulgramm. 1845, §. 123, anm. 4.

2) Gernhard ad Cat. M. II, p. 11.

3) Cf. Philipp. I, 5, §. 11. Sic »*hodierno die*« Sest. c. 16; Mil. 1, §. 3; Dejotar. 15, §. 43; Philipp. II, 43, §. 110; 44, §. 112; III, 2, §. 5; 3, §. 7; 11, §. 28; IV, 1, §§. 1 et 2; 6, §. 16; V, 16, §. 45; VI, 1, §. 3; 6, §. 16; VIII, 1, §. 1; Post. red. in sen. 12, §. 31; De domo 1, §. 2.

4) velut Sest. 19, §. 43 »hac *una* medicina *sola* potuit depelli«; 62, §. 130 »*unus* est *solus* inventus«; Cael. 8, §. 19 »*unum* senatorem *solum* esse inventum«. Cf. apud nos »*Einer allein*«.

§. 17 »Consules ad delendum senatum . . . . . . qui illis fascibus ceterisque insignibus summi honoris atque imperii ornatos esse arbitrabantur«; — ibidem p. 312 »praemiis nefariae pactionis [1]) . . . exstinctum voluerunt«, quae quidem pactio nefaria saepius apud Ciceronem significatur, ut Pis. 12, §. 28 (»Foedus quod meo sanguine in pactione provinciarum iceras«); Sest. 10, §. 25; 19, §. 44; 24, §. 53; Pis. 13, §. 30; 24, §. 56 et §. 57; Post. red. in sen. 7, §. 17; ad Quir. 5, §. 11, p. 105; §. 13, p. 110; De domo 9, §. 23; 50, §. 129; cum toto denique nostro loco comparari potest Post. red. in sen. 13, §. 32 »Alter consules ut me et remp. non modo desererent, sed etiam hostibus reip. proderent, pactionibus eos suorum praemiorum obligarat«. — C. 3, §. 4 »Cognovi *muliebri ornatu* emissum« ~ Clod. et Curion. 5, 1 p. 153 Orelli »quom decet muliebris ornatus«; — eodem illo loco »Prospexi, quanta tempestas excitaretur, quanta impenderet procella reipublicae« ~ Cael. 24, §. 59 »Significabat Q. Metellus moribundus, quanta impenderet procella urbi, quanta tempestas civitati«. — C. 3, §. 5 extr. »Qui si sensit, quo se scelere devinxerit, non dubito quin sit miserrimus; sin autem id non videt, periculum est, ne se stuporis excusatione defendat« ~ praeter locos jam a Markland collatos etiam Philipp. II, 22, §. 54 »O miserum te, si intelligis; miseriorem, si non intelligis!« — C. 4, §. 7, p. 318 »illaqueatus [2]) jam omnium legum periculis, irretitus [2]) odio bonorum omnium« ~ Sest. 7, §. 16 »hanc beluam, vinctam auspiciis, constrictam legum sacratarum catenis«; Cael. 30, §. 71 »ex nullius legis laqueis emittendi videbantur«; Milon. 15, §. 40 »Antonius illam beluam, judicii laqueos declinantem, jam irretitam tenebat«. — Pag. 319 »si quod in me *telum intenderit*« ~ De prov. cons. 9, §. 23 »tela undique intenta in patriam«; Pis. 2, §. 5. — C. 5 (quocum universo cf. De domo §§. 104 sqq.), §. 8 »Pulvinaribus Bonae Deae stuprum intulit« et c. 15, §. 33 »Quo pulvinari? quod stupraras« ~ Pis. 39, §. 95 »stuprum Bo-

---

1) sic enim scribendum cum codd., non »*factionis*«.

2) Haec verba »illaqueatus« et »irretitus« Wolfius in nota tanquam vagae potestatis notavit.

nae Deae pulvinaribus intulit«; Milon. 27, §. 72 »ejus nefandum adulterium in pulvinaribus sanctissimis nobilissimae feminae comprehenderunt«; 32, §. 87 »Polluerat stupro sanctissimas religiones«. — C. 7, §. 15 »Domus mea primum aedificatur ex auctoritate senatus pecunia publica« et c. 8, §. 16 »quam senatus unam post hanc urbem constitutam ex aerario aedificandam putaret« ~ Pis. 22, §. 52 »Patres C. mihi, quod ante me nemini, pecunia publica aedificandam domum censuerunt«. — C. 9, §. 18 »Ego vero primum habeo auctores ac magistros religionum colendarum majores nostros« ~ Milon. 30, §. 83 »Movet id, quod maximum est, majorum nostrorum sapientia; qui sacra, qui caerimonias, qui auspicia et ipsi sanctissime coluerunt, et nobis prodiderant«. — C. 9, §. 19 »Quis est tam vecors, qui aut, cum suspexerit in caelum, deos esse non sentiat ..., aut, cum deos esse intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum imperium esse natum?« ~ Milon. 30, §. 83 »... qui nullam vim esse ducit numenve divinum, quem neque imperii vestri magnitudo, neque sol ille, nec caeli signorumque motus, nec vicissitudines rerum atque ordines movent«. — C. 10, §. 20 »ne plura de re minime loquar dubia« ~ Cael. 7, §. 15 »nimium multa de re minime dubia loquor«. — C. 12, §. 26 »Istiusmodi Megalesia fecit pater tuus? istiusmodi patruus?« ~ Sest. 59, §. 126 »non patris, avi, ... majorum denique instituto«; Cael. 14, §. 33 »non patrem tuum videras? non patruum, non avum?« — C. 13, §. 29 »Dejotarum, saepe a senatu regali nomine dignum existimatum, clarissimorum imperatorum testimoniis ornatum« ~ Pro Dejot. 3, §. 10 »Is rex, quem senatus hoc nomine saepe honorificentissimis decretis appellavisset«; 13, §. 37 »Omnium imperatorum de Dejotaro decreta: ab omnibus enim his est ornatus ... Senatus vero judicia de eo tam multa tamque honorifica cett.« — C. 14 et 15, §. 32 »Vetera fortasse loquimur... Veruntamen antiqua negligimus; etiamne ea negligemus, quae fiunt cum maxime?« ~ Philipp. II, 44, §. 25 »Sed haec vetera; illud vero recens..« — C. 17, §. 37 extr., ubi ludit Cicero in appellatione *Bonae Deae* ad Clodii consilia referenda, comparari certe potest cum noto illo Dionysii lusu (»*Bonorum Deorum*«), quem commemorat etiam

Tullius in Nat. Deor. 3, 34, § 84. — C. 18, § 37 »Te judices emiserunt exclusum et exhaustum; suo judicio absolutum; omnium, condemnatum« ~ Cic. ad Att. 1, 16, § 4 »nemo erat, qui illum reum ac non millies condemnatum arbitraretur«; Pis. 39, § 95 »Emissus etiam ille auctor tuus provinciae. . . Quis fuit in tanta civitate, qui illum incesto liberatum, non eos, qui ita judicarint, pari scelere obstrictos arbitraretur?« — C. 18, § 38, p. 359 »flagrantes oculos sororis« ~ Cael. 20, § 49, ubi »flagrantia oculorum« eidem Clodiae tribuitur. — C. 18, § 39 in. »A diis quidem immortalibus quae potest homini major esse poena furore atque dementia?« ~ Pis. 20, § 46 »Me tamen fugerat, deorum immortalium has (furorem et insaniam) esse in impios et consceleratos poenas certissimas constitutas.« — C. 20, § 42 in. »Hic vero, de quo ego ipse tam multa nunc dico, quid est? quid valet? . . . Qui post patris mortem primam illam aetatulam [1]) suam ad scurrarum locupletium libidines detulit; quorum intemperantia expleta, in domesticis est germanitatis stupris volutatus« (cf. etiam c. 18, § 39 et c. 27, § 59) ~ Sest. 7, § 16 »qui tribunus plebis felix in evertenda rep. fuit, nullis suis nervis: qui enim in ejusmodi vita nervi potuerunt esse hominis fraternis flagitiis, sororiis stupris, omni inaudita libidine insani?«; 17, § 39 »Cum scurrarum locupletium scorto, cum sororis adultero, cum stuprorum sacerdote . . . mihi res erat«; Cael. 13, § 32 »Intercedunt mihi inimicitiae cum istius mulieris viro; fratrem, volui dicere; semper hic erro.« — Eodem illo loco p. 366 »mortuorum testamenta conscripsit« ~ Sest. 17, § 39 »cum testamentario mihi res erat.« — C. 20, § 43 »Idem iste pudorem, pudicitiam, senatus auctoritatem, jus, fas, leges, judicia violavit« ~ Milon. 28, § 77 »Per Milonem jus, aequitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in civitate manebant«. — C. 21, § 44 »nulla enim potest cuiquam male de rep. merendi justa esse caussa« ~ Philipp. II, 22, § 53 ». . . praesertim cum omnino nulla caussa justa cuiquam esse possit contra patriam arma capiendi«. — Eodem loco »P. Clodius . . . a psalterio . . . est factus repente popularis«

1) Cf. Sest. 8, § 18 »venatores aetatulae«.

~ Clod. et Curion. 5, 4, pag. 153 Orelli »quem decet incessus psaltriae«; Sest. 54, p. 116 »In coetum mulierum pro psaltria adducitur«. — C. 22, §. 46 »Pompejus cupientem Italiam, populum Romanum desiderantem, flagitantes vos ... ad meam salutem excitavit« ~ Sest. 69, §. 145 »Me lugenti patriae, flagitanti senatui, poscenti Italiae, vobis omnibus orantibus reddiderunt«; cf. etiam ib. 11, §. 25. — C. 22, §. 47 universa comparanda est cum Sest. 17, §§. 39 et 40; 28, §. 52; — similiter c. 23, §. 48 cum oratione De domo 15, §§. 39 sq. — C. 22, §. 47 »Cn. Pompejo adjutore, quae faciebat, facere clamabat« et c. 23, §. 48 extr. »In ipsum Cn. Pompejum, auctorem, ut praedicare est solitus, consiliorum suorum invehi coepit« ~ De domo 25, §. 66 »In eum ipsum se convertit, quo auctore, quo adjutore in concionibus ea quae gerebat omnia quaeque gesserat se fecisse et facere dicebat«. — C. 23, §. 49 »Tum est illa in templo Castoris scelerata et paene deletrix hujus imperii sica deprehensa: tum ille, cui nulla hostium diutius urbs unquam fuit clausa, ... obsessus est ipse domi« (cf. etiam c. 27, §. 58, p. 384) ~ Sest. 32, §. 69 »Initur consilium de interitu Cn. Pompeji; quo patefacto ferroque deprehenso ille inclusus domi, tamdiu fuit, quamdiu inimicus meus in tribunatu«; Pis. 13, §. 29 »Tuo in imperio, qui omnes omnium gentium partes tribus triumphis devinxerat, is se in publico tuto statuit esse non posse«; Milon. 7, §. 18 »Comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompejum interficiendum collocarat; extorta est confitenti sica de manibus«; Post red. in sen. 2, §. 4, p. 18; 11, §. 29, p. 58. — C. 24, §. 50 »Dicam quidem certe, quod sentio« ~ Prov. cons. 8, §. 18 »Qua de re dicam, P. C., quod sentio«; Philipp. I, 11, §. 27 »Consuetudinem meam, quam in republica semper habui, tenebo, i. e. libere, quae sentiam de republica, dicam«; III, 2, §. 5 »Nunc primum ita convenimus, ut possemus ea, quae sentiremus, libere dicere«; V, 2, §. 3 »ut, quod sentio, dicam«; De domo 10, §. 25. — C. 22, §. 46, p. 371 »nec tamen ita, ut se quisquam, si ab isto laudatus sit, laudatiorem putet cett.«; c. 24, §. 50 extr. »Mihi tum de Pompeji amplissima dignitate detrahere, cum illum maximis laudibus efferebat, videbatur«; §. 52, p. 377

»statuo»; hunc, si amicus esset Pompejo, laudaturum illum non fuisse« ∼ non solum Cic. ad Lucceium (Fam. 5, 12, §. 7) »Placet enim Hector ille mihi Naevianus, qui non tantum *laudari* se laetatur, sed addit etiam *a laudato viro*«; Sest. 65, §. 137 »a viris sapientibus et bene natura constitutis laudari«; sed etiam similiora Vatin. 12, §. 29 »Contumeliosissime ei toties maledicis, quoties te illi affinem esse dicis«; 17, §. 41 »Clarissimo viro nonnullam laudatione tua labeculam adspergis; in illorum enim numero mavult T. Annius esse, qui a te vituperantur«; Pis. 29, §. 72 »Quae quidem laudatio hominis turpissimi mihi ipsi erat paene turpis«. — C. 26, §. 56, p. 383 »quos munera contra leges gladiatoria parantes, quos apertissime largientes non solum alieni sed etiam sui, vicini, tribules, urbani, rustici repulerunt« ∼ de lege illa Sest. 64, §§. 133 sq.; Vatin. 15, §. 37; praeterea autem Vatin. 16, §. 39 »Te vicini, te affines, te tribules ita oderunt, ut repulsam tuam triumphum suum duxerint«. — C. 27, §. 58 »... quem vos patriae conservatorem esse saepissime judicaveratis« ∼ Pis. 3, §. 6; 10, §. 23 »Civis is, quem hic ordo assentiente Italia cunctisque gentibus, conservatorem patriae judicaverat«; 15, §. 34 »civem servatorem reipublicae«; Milon. 27, §. 73 »hunc civem senatus. ... urbis ac vitae civium conservatorem judicaverat«; Philipp. II, 1, §. 2; 21, §. 51; Post red. in sen. 10, §. 26; ad Quir. 2, §. 5; De domo 27, §. 72; 35, §. 94; 38, §. 101. — Eodem illo loco »Sustulit duas leges Aeliam et Fufiam, maxime reipublicae salutares; censuram exstinxit; auspicia delevit«. ∼ Vatin. 2, §. 5 et 7, §. 18 »quas contra (leges Ael. et Fuf.) praeter te nemo unquam est facere conatus; quae quidem leges anno post, sedentibus in templo duobus non consulibus, sed proditoribus hujus civitatis ac pestibus, una cum auspiciis, cum intercessionibus, cum omni jure publico conflagrarunt«; Sest. 15, §. 33 »Lata lex est: Ne auspicia valerent, ne quis obnunciaret, ne quis legi intercederet; ut omnibus fastis diebus legem ferri liceret; ut lex Aelia, lex Fufia ne valeret«; De prov. cons. 19, §. 46 »Statuendum est, legem Aeliam manere, legem Fufiam non esse abrogatam, non omnibus fastis legem ferri licere; cum lex feratur, de caelo servari, obnunciari, intercedi licere;

censorium judicium ac notionem ... non esse sublatum«; praeterea Pis. 4, §. 9; Post red. in sen. 5, §. 11, quos locos exscribere longum est. — C. 28, §. 64 »Hanc orationem, P. C., tam tristem, tam gravem, non suscepissem, non quin hanc personam et has partes honoribus populo Romano deberem« ~ Philipp. II, 3, §. 6 »querela misera quidem et luctuosa, sed mihi pro hoc gradu, in quo me senatus populusque Romanus collocavit, necessaria«; IV extr. c. 6, §. 16, VI, 1, §. 2 »Memineram, quam personam impositam a vobis sustinerem«.

Ex his, quos attulimus, locis perspicitur credo, quanta etiam in sententiis singulis inter nostram orationem et reliquas Ciceronianas similitudo intercedat; poteramus etiam alia conferre; alia jam ab editoribus comparata sunt; sed sufficere illa ad consilium nostrum arbitramur.

§. 13. *De nexu sententiarum deque dispositione orationis nostrae.*

Posteaquam igitur tantum abesse vidimus ut argumenta vel externa vel interna contra auctoritatem orationis nostrae facerent, ut contra utraque nullam fere de auctore Cicerone dubitationem admittere viderentur; nihil jam restat, nisi ut, quam rationem quamque dispositionem in componenda oratione secutus sit Tullius, anquiramus; neque enim desunt[1], qui hanc quoque a more Ciceroniano abhorrere summoque oratore indignam esse censeant. Est autem simplicissima eademque aptissima; haec fere.

Exorditur Tullius ab excusatione vel defensione ejus rationis, qua paullo acrius die superiore in Clodium molestissimum invectus erat, cum nonnulli iratum eum justo longius progressum esse existimassent. Negat se Clodii potissimum, qui exsilii sui auctor fuisset, odio neque tum neque omnino flagrare: neque enim multum exinde ad pristinum illius odium accessisse, quem jam dudum reipublicae potius, quam sibi infensum esse sciret. Eadem de

1) Cf. Schütz p. XXVI »Etsi enim haec oratio in dispositione minus, quam illa pro domo laborat, multa tamen in ea occurrunt inepte dicta etc.«; p. XXX »Ceterum totum orationis filum, multum a Ciceronis elegantia abhorret«.

causa nunquam eum a se accusandum putavisse, cum cuivis bono civi pariter ac sibi insidias ille pararet; quo accedere etiam id, quod jam Miloni ille devota et constituta hostia esse videretur. Neque vero contentum eum fuisse eis sceleribus, propter quae commissa Miloni consecratus esset; sed nova eum tela in Ciceronem intendisse, quae certe repellenda sibi armis judiciorum et legum, conatusque ejus resistendo confutandos fuisse appareret. Quippe in concione nuper habita, ab omnibus auditoribus irrisum, de religionibus neglectis conquestum illum esse ac, recenti haruspicum de fremitu responsione recitata, in ea causa domum esse Ciceronis dixisse ab ipso consecratam. Quo facto necessariam sibi quoque occasionem datam esse de illo responso, propter quod senatus convenisset, verba faciundi, ut et refelleret accusationem Clodianam, et veram responsi vim ac sententiam aperiret. Primum igitur (inde a c. 6, §. 11) expiat religionem aedium suarum, ac si scrupulus tenuissimus, finita oratione sua, residere videretur in mentibus senatorum, lubentissime se portentis religionique obsecuturum ait.

Deinde vero, posteaquam pluribus gravissime de domo sua egit, quoniam absolutis his ipsius causa expedita videbatur, ipse jam (inde a c. 9, §. 18), quid haruspices significassent, exploravit. Itaque cum neutiquam contemnenda ejusmodi portenta esse dixisset, sed more majorum pro ipsa voce deorum habenda, singulas jam haruspicum responsiones percensuit, commonstravitque ex eis, de nulla alia re Romanos, nisi de Clodii scelere ac furore ac de impendentibus illinc periculis maximis, prope jam voce Jovis O. M. praemoneri. Quoniam vero acerrime et in Clodium, et vero etiam in Romanos illi propitios invectus erat, ita potissimum finem fecit dicendi (c. 28, §. 61), ut tam tristem tamque gravem orationem suscepturum se fuisse negaret, nisi et debuisse has partes sese reipublicae existimaret, et omnis oratio non auctoritatis suae, sed publicae religionis fuisset. Scilicet in haruspicum responso vocem ipsam deorum immortalium cerni; quos minime, ut in fabulis ferrentur, in terram delapsos colloqui cum hominibus, sed quid vellent, portentis prodigiisque gravissimis ostendere solere. Pro-

inde cum etiam tunc dii benigni, praemonstratis periculis reipublicae imminentibus, quid opus esset maxime, significavissent, ipsi sibi jam Romani ne deessent, rogavit orator, deorum certe auctoritate moverentur.

Non video in plana hac dispositione, quid ineptum, quid longum, quid frigidum sit; non video equidem, quid Cicerone omnino indignum censeri possit. Nam quod primum Wolfius (p. 307) »prooemiandi sit occasionem jejune captari ex narratione rerum, quas idem ille senatus superiore die factas viderat«, prorsus consentaneum erat, Ciceronem, quem nonnulli in Clodio aggrediendo irae suae non temperavisse existimaverant, uti hac opportunitate ad defendendum sese factique, posteaquam enarravit paucis, rationem exponendam (c. 2, §. 3). — Idem porro vir doctus (p. 321 sq.) de necessaria illa dicendi caussa dubitat, quia, si revera v. c. in hoc ipso senatus consessu actum esset de prodigiis illis et haruspicum responsis, non tam misere orator in toto exordio erravisset. Verum neque intelligitur, cur erravisse dicatur orator, et ex ipsa deinde oratione [1]) reapse necessariam ei caussam fuisse apparet, si quidem revera in illo senatus consessu ex haruspicum responso consulibus referendum erat de locis sacris, religiosis. Hoc nisi praetervidisset, ne Schützius [2]) quidem tempora in hac oratione non satis concordare existimasset: nam quanquam jam ante superiorem diem concio illa Clodiana habita erat, tamen hoc potius die egit de ea in senatu, quod in hoc demum consessu de prodigio illo haruspicumque responso referendum erat. — Quod vero Madvigius [3]) ejusmodi consilia, qualia inde a cap. 19 exponerentur, nun-

1) Cf. c. 6, §. 11 »ex hoc haruspicum responso decrevit senatus, ut de locis sacris, religiosis ad hunc ordinem referretis«; 7, §. 14 »verum referte, quod ex senatusconsulto facere debetis«; 14, §. 31 »agatur modo haec res, quod ex eo S. C., quod nuper est factum, referri ad vos necesse est; habeo, quae de locis religiosis velim dicere, cum de domo tua dixero.«

2) p. XXVII »Nam si paullo ante hesternum (c. 1) diem Clodius illam concionem habuerat, cur de ea Cicero in senatu postridie potius, quam heri, dixisset?«

3) De Ascon. Ped. comm. p. 76.

quam ab haruspicibus data putavit; quorum fuisset de dis, quae ad religionem pertinerent, monere, non senatorum de republica consultantium partes agere: haec nulla prorsus offensio potest esse; nam nonne eorundem haruspicum erat, etiam *curare prodigia* senatuique, quid dii immortales eis monerent, dicere atque aperire? Itaque haruspicum erat, ex portenti illius natura monere, v. c. (c. 26, §. 55) ne occultis consiliis respublica laederetur, (c. 27, §. 60) ut providerent, ne reipublicae status commutaretur; senatui autem deinde revera providendum erat consultandumque, quo modo optime universis haruspicum praeceptis satisfieri posset. — Etiam in extrema oratione censor editionis Wolfianae [1]) nihil nisi ineptias deprehendisse sibi videtur, quanquam praeter ipsa verba Ciceroniana nihil pro opinione sua affert. Neque vero nobis illa tam absona esse videntur; immo, quo major portento illi haruspicumque responso vis tribueretur, prorsus ex re erat commonere, ipsam deorum immortalium vocem ex eo cognosci: neque enim aliter illos, atque hoc modo, loqui cum hominibus. — Nec vero postremo, quod orator c. 28, §. 62 etiam terrae motum in agro Piceno factum in rem suam vertit, cum Wolfio (ad h. l. p. 390) levissimam hanc rei mentionem ante portam claudendam nimis putidam existimamus: quis enim mirari potest, quod Cicero, quo gravius animos audientium commoveret, in fine orationis non uno tantum illo prodigio, sed duobus similibus idem deos Romanis suasisse ait?

Quodsi ne hac quidem ex parte claudicare oratio nostra videtur; nihil omnino credo jam restat, in quo quis offendatur. Non nos quidem ei sumus, qui tanquam perfectam omnibusque numeris absolutam hanc orationem lectoribus propinare velimus; sed constat omnino, in orationibus statim post exsilium habitis Ciceronem et remisisse paullulum pristinam vim oratoriam [2]), neque de ulla alia re cogitasse nisi de Clodio coercendo puniendoque. Hunc,

1) in Allg. Lit. Zeit. 1802, n. 98, p. 6: »Wie albern ist der ganze Schluss in Absicht der Gedanken? dass ein Gott unter Menschen sei, soll man nimmer glauben; aber cett.«

2) ut simile quiddam videmus in Aristophanis fabulis post Pacem editis.

ubicunque datur occasio, aggreditur; in hoc acerbissime exagitando omnes versantur ejus temporis orationes, ac ne augere quidem aliquanto illius vitia dicendo Tullius verecundatur [1]). In talibus igitur non offendendum, neque magis in locis quibusdam negligentius constructis vel certe non plane perfectis [2]), si quidem ex eis neutiquam apparet, Ciceronem non fuisse auctorem orationis, sed potius secundum eos non multo antea ille praemeditatus eam esse maximamque partem ex tempore dixisse videtur. Abjudicare quippe orationem a Tullio nemo poterat ultro, nisi Marklandus, qui, quovis pretio summi praeceptoris exemplum et ipse imitaturus, perperam scripta etiam genuina addubitare coepit, nulla ipse Ciceronis notitia accuratiore imbutus; quanquam hoc postea ei contigit fortunae, eandem ut Wolfius, praejudicata sua opinione prorsus hac in re occaecatus, defendendam susciperet caussam; cujus deinde auctoritati pedissequos viri doctissimi, quorum nimis magnus hac in quaestione numerus erat, illico obsecutos esse, quis est, qui admiretur? Verum enimvero ex sobria totius caussae pertractatione patere vidimus, nihil certius stare, quam in nostra quidem oratione nomen Ciceronianum; quaecunque prolatae erant offensiones, evanuerunt diligentius exploratae; omnia omnino, quae aliquid probare possent, pro Cicerone pugnare intelleximus, ita quidem, ut, etiamsi, omnibus deletis testimoniis externis, sola conjectura [3]) orationis auctor jam assequendus demum esset, ne sic quidem nos ullo modo de uno designando Cicerone dubitaremus.

---

1) Cf. c. 20, §. 42, p. 366, ubi jure monet Klotz: »Wenn in der Schilderung unsres Redners vielfache Übertreibungen sich finden, so beweist dies noch nicht, dass Cicero nicht Verfasser dieser Rede sei, da ja dieser selbst auch anderwärts genugsam übertreibt.« Idem quadrat ad c. 28, §. 60.

2) veluti de c. 17, §. 37, p. 357 jam supra monuimus; cf. etiam c. 20, §. 43, p. 367.

3) quod postulat Markland pag. L; cf. etiam Wolf, Praef. ad or. Marcell. p. XV.


ASHMOLEAN
OXFORD
MUSEUM





